6246
7
py 1

PA 6246
.A7
Copy 1

SCHEDARUM CRITICARUM

IN

C. I. CAESARIS

COMMENTARIOS

DE BELLO GALLICO ET DE BELLO CIVILI

PARTICULA PRIMA.

SCRIPSIT ET EDIDIT

IOANNES APITZIUS,

PH. DR. AA. LL. M.

LIPSIAE

SUMPTIBUS C. H. F. HARTMANNI.

MDCCCXXXV.

SCHEDAE CRITICAE

IN

C. I. CAESARIS

COMMENTARIOS DE BELLO GALLICO.

SCRIPSIT ET EDIDIT

IOANNES APITZIUS,

PH. DR. AA. LL. M.

LIPSIAE

SUMPTIBUS C. H. F. HARTMANNI.

MDCCCXXXV.

PA6246
.A7

C. I. CAMSARIS

COMMENTARIUS DE BELLO GALLICO.

35086

96-84553C

LIBRARY OF CONGRESS
1899
CITY OF WASHINGTON

SCHEDAE CRITICAE

IN

C. I. CAESARIS

COMMENTARIOS DE BELLO GALLICO.

LECTURIS SALUTEM.

Etsi ab instauratis usque litterarum studiis ad illustrandum emendandumque C. I. Caesarem multi concurrerunt, nemo tamen, nec princeps ille Oudendorpius id effecit, ut Caesar *correctior* exsisteret. Immo ut virum illum celebratissimum cum Ier. Marklando et multis aliis Caesaris *sospitatorem* dicam, tantum abest, ut eum ab apparatu critico instructissimum auctorem suum corrupisse et depravasse mihi persuasissimum sit. Nam quum Lb. suos MSS. parum haberet cognitos atque adeo deteriores praestantioribus praeferret, fieri non potuit, quin Caesarem ex Caesare expelleret.

Sed aut ars critica abiicienda, aut explorata fide historica factitanda est. Ante igitur quam textus, ut dicitur, recensionem exhibere possumus, eius quasi historiam investigare et investigatam condere debemus. Eam autem is facile inveniet, qui et ipsam Iulianam orationem et antiqua eius monumenta diligentius excusserit. Hunc enim praeterire non poterit, commentarios C. I. Caesaris, quod ad Lb. MSS. attinet, tres fere periodos expertos esse. Prima scilicet ea est, qua ἀρχέτυπον, quod multis παρεπιγραφαῖς aut explicationes aut varias lectiones aut supplementa aut παράλληλα atque alia continentibus instructum erat, insertis παρεπιγραφαῖς repetitum est. Alteram vero eam dico, qua exemplar, quod non solum iis, quas diximus, παρεπιγραφαῖς, sed etiam aliis infectum et multis adeo correctionibus interpolatum erat, descriptum

est. Tertiam denique eam pono periodum, qua Libri, non modo omnibus, quae diximus, vitiis affecti, verum novis etiam adornati, repetiti sunt. Itaque tres exstiterunt Codicum familiae, quarum fidem auctoritatemque facile dignoscimus. Sunt vero primae familiae Bongarsianus primus et secundus, Vossiani, Egmundanus, Lovaniensis (s. Torrentianus) et Petavianus a m. pr. Ad alteram vero Andinus (s. Menardianus), Oxoniensis, Leidensis primus, Scaligeranus, Cuiacianus, Petavianus a. m. sec. et MSS. Ursini pertinent. Tertiae denique Libri reliqui annumerandi sunt.

Tametsi haec historia ad verum sincerumque indagandum mirum quantum adiuvat, tamen ea sola genuina omnia restitui posse nec ego puto, nec censebunt alii. Itaque quum ad id efficiendum non solum summa diligentia, sed singulari etiam sagacitate atque acumine opus sit, *crisin* meam modo inchoatam neque omnibus suis numeris partibusque absolutam esse ingenue profiteor. Eademque de caussa libellum *succinctum* conscripsi, quem si non prorsus inutilem VIRI *DOCTI* iudicaverint, brevi, ut spero, alter sequetur.

Accommodavi autem schedas meas ad maius exemplar Oudendorpianum, quod eo *correctius* non habemus. Nam nec sequaces editores (quorum numerum propediem sacerdos novus adaugebit, quo mirabiliorem vel miserabiliorem nec nostra aetas vidit, nec posteri videbunt,) tale edidisse, nec Lemairium Gallum tale exhibuisse nemini ignotum est. Ceterum illud etiam idcirco tamquam fundamentum subieci, ut possem ego brevior esse.

Haec praefatus *paucula mea in medio pono; amicis, inimicis in ea ius esto; qui volet, carpito; invitus ne legito; officii gratia ne laudato.*

Scribebam Leucoreae Cal. Mart. a. MDCCCXXXV.

Ioannes Apitzius.

SCHEDAE CRITICAE

IN C. I. CAESARIS COMMENTARIORUM DE BELLO GALLICO

LIBRUM PRIMUM.

C. 3. Ad eas res conficiendas biennium sibi satis esse duxerunt; in tertium annum profectionem lege confirmant. *Ad eas res conficiendas* Orgetorix deligitur] Non delectus est Orgetorix ad eas res conficiendas, sed ad pacem cum civitatibus confirmandam, ut recte inquit Oudendorpius. Quare verba *ad eas res conficiendas* per se iam suspecta sunt. Accedit lectionum varietas. Nempe in Voss. sec. illa omnino desunt; in Petav. pro *res* legitur *leges:* in Leid. pr. *confirmandas* pro *conficiendas*. Unde patere arbitror *conficiendas* non magis genuinum esse quam *confirmandas* aut *leges*, nam aeque *conficiendas* ac *leges* et *confirmandas* corrector substituit ex antecedentibus. Correxit autem Kreyssigius, *Orgetorix, ubi legationem* etc. et addita *igitur* vocula proposuit Heldius, *Orgetorix igitur, ubi legationem* etc. Neutrum vero censeo probabile. Priore enim emendatione nimis abrupta conformatur oratio, altera vero inepte conglutinata evadit. Puto igitur veri esse simillimum, *ad eas res legatus Orgetorix deligitur.* Certe confirmant hoc sequentia, *is, ubi legationem ad civitates suscepit, in eo itinere* etc.

C. 4. Ea res *ut* est Helvetiis per indicium enunciata, moribus suis Orgetorigem ex vinculis caussam dicere coegerunt] Omnes, quod sciam, editores ex MSS. recentioribus *ut* receperunt. Male. B. G. IV. 15. *illi supplicia cruciatusque Gallorum veriti, quorum agros vexaverant, remanere se apud eum velle dixerunt: his Caesar libertatem concessit.* Suo more vertit metaphrastes, *τούτων δ' οὐκ οἶδ' ὅπως τοῖς Ἑλβητίοις σημανθέντων.* Ex eo igitur non potest coniici, *ea re Helvetiis per indicium enunciata.* Neque magis probari potest c. 51. *postridie eius diei Caesar praesidio utrisque castris, quod satis esse visum est,*

RELICTO, omnes alarios in conspectu hostium pro castris minoribus constituit. Ac nemo, spero, post Herzogium ad defendendos Ablativos metaphr. *καταλιπὼν* adhibeb't. Scilicet interpretatio eius haec est: *τῇ μὲν οὖν ὑστεραίᾳ ὁ Καῖσαρ φρουρὰν ἱκανὴν ἀμφοτέροις καταλιπὼν τοῖς στρατοπέδοις, πάντας δὲ τοὺς ἱππέας ἐκ τοῦ στρατοπέδου ἐξαγαγὼν, ὅσον κτλ.* Neque quisquam praeter Herzogium Petrarcham testabitur, cuius haec verba sunt: *itaque suis castris duobus dimisso gemino praesidio cum omnibus copiis castra hostium invadit.* Cave igitur, ne cum Bentleio corrumpas Horat Serm. I. 9. princ. *ibam* (ut) *forte Via sacra, sicut meus est mos, nescio quid meditans nugarum, totus in illis: accurrit quidam.*

C. 6 Extremum oppidum Allobrogum est, proximumque Helvetiorum *finibus* Geneva] *finibus* desideratur in Carr. et Leid. pr. ac nonnullis editt. vett. Expunxit, ut videtur, qui orationem exaequare voluit Neutiquem igitur emendare licet, *extremum oppidum Allobrogum proximumque Helvetiorum est Geneva*, s. *Geneva est.* Neque quidquam efficies ex versione graeca, *ὧν ἐσχάτη πόλις τε καὶ τῶν Ἑλβητίων ἐγγυτάτη ἐστὶν ἡ Γενοῦα.*

C. 6. Interea *ea* legione, quam secum habebat, militibusque, qui ex provincia convenerant, a lacu —] *ea* videtur ex voce antecedente ortum esse, quare praeferam, *interea legione, quam* etc. Idem confirmat *militibusque*, pro quo praecedente *ea l.* exspectabas *iisque militibus.*

C. 11. Eodem tempore, Aedui Ambarri, necessarii et consanguinei Aeduorum, Caesarem certiorem faciunt] Vulg. *eodem tempore, quo Aedui, Ambarri quoque*, quae manifesta est interpretis annotatio. Plures MSS, et editt. exhibent, *eodem tempore Aedui Ambarrique*, quam lectionem corruptam esse, quum de Aeduis modo dictum sit, nemo non intelligit. Aeque vero illud depravatum est, quod ex suis Cdd. Oudendorpius restituit. Nempe utrumque, et *Aedui Ambarri* et *Aedui Ambarrique*, ex illa interpretis annotatione ortum est. Nimirum genuinum est, *eodem tempore Ambarri, nec. et cons. Aed. Caes cert. fac.* Adscripsit autem aliquis in margine, *quo Aedui*, ut illustraret illud *eodem tempore.* Recte metaphr. *ἐν ταὐτῷ δὲ καὶ οἱ Ἄμβαῤῥοι, ἀναγκαῖοί τε καὶ συγγενεῖς τῶν Ἐδουένων, κτλ.* Similem *παρεπιγραφὴν* deprehendimus c. 24. *ipse interim in colle medio triplicem aciem instruxit legionum quatuor veteranarum, ITA UTI SUPRA se in summo iugo duas legiones, quas in Gallia citeriore proxime conscripserat, et omnia auxilia conlocaret; ac totum montem hominibus compleri — iussit.* Illud *ita uti supra* spectat ad c. 22. et futile additamentum est, id quod et rerum et verborum ineptissima cohaerentia affatim comprobat. Lege igitur expuncto emblemate ex auctoritate

optimorum MSS sic: *ipse interim in colle medio triplicem aciem instruxit legionum quatuor veteranarum; SED in summo iugo duas legiones, quas in Gallia citeriore proxime conscripserat, et omnia auxilia CONLOCARI, ac totum montem hominibus compleri — iussit.*

C. 12. *Eos* impeditos, et inopinantes adgressus, magnam *eorum* partem concidit] Vulg. *partem eorum.* Exemplis similibus, sed non paribus *eorum* defendit Ondendorpius. Recte omittunt Oxon. et Leid. sec. Nam non magis ferendum est quam B. G. VI. 8. *CUM IIS propinqui Indutiomari, qui defectionis auctores fuerant, COMITATI EOS ex civitate excessere.* Sed de h. l. vide ad B. G. II. 8. Saepius autem pronomina male illata sunt, veluti B. G. II. 15. *quod iis rebus relanguescere animos EORUM, et remitti virtutem existimarent.* IV. 2. *mercatoribus est AD EOS aditus.* Neque rectius legimus

C. 13. atque ibi futuros Helvetios, ubi *eos* Caesar constituisset] Vulgo deest *eos*, inquit Oudendorpius. Cur intrudamus et interna et externa fide destitutum, caussam video nullam. Recte delevit ille *illos* B. G. I. 26. *qui si iuvissent, se eodem loco ILLOS, quo Helvetios, habiturum.* Vellem similiter correxisset c. 14. *his Caesar ita respondit: eo sibi minus dubitationis dari, quod eas res, quas LEGATI HELVETII commemorassent, memoria teneret.* Nam *legati Helvetii* nonnisi interpreti debemus.

aut suae *magno opere* virtuti tribueret] Vulg. *magnopere.* Illud ab Oudendorpio editores recentiores bona fide acceperunt. Sed scribendum esse *magnopere* probat antiquum illud *toper*, i. e. *toto opere.* V. Fest. et Fab. Quintilian. Instt. Or. I. 6. 40. Quare vox illa cum suis similibus nisi pluribus verbis interpositis, aut uno inserto vocabulo disiungi non potest. Cic *magnoque opere.* Terent. *maximo te orabat opere.*

Se ita a patribus maioribusque suis didicisse, ut magis virtute, quam dolo, contenderent, *aut insidiis niterentur*] Quum *aut* neque hic neque alias *et, ac, atque* significet, *aut insidiis niterentur* ineptum plane additamentum est. Possis igitur suspicari, pro *aut* restituendum esse *atque.* Sic B. G. IV. 13. *per dolum atque insidias.* Pro *copula* autem in plerisque MSS. B. G. IV. 30. *aut* legitur. Quae confusio frequentissima est Sic emendes B. G. I. 40. *quaerendum AUT cogitandum* Liv. XXVI. 39. *non vi AUT virtute, sed proditione ac furto,* quod aeque perversum est atque Tacit. Germ. 7. *nec regibus infinita AUT libera potestas,* pro *AC lib. pot.* Item corrigas Cic. Fin. III. 21. 71. *consociare AUT coniungere.* Sed quum illud *atque insidiis niterentur* orationem misere extenuet, puto potius *aut insidiis niterentur* nonnisi adscriptam esse variam lectionem. Confer B. Afric. 73. *qui per virtutem, non per dolum dimicare consuerunt.* Petrarch. p. 23. *non*

fraude etenim, sed aperta vi solitos se pugnare. Similis autem παρεπιγραφὴ corrupit B. G. IV. 5. *audierit AUT COGNOVERIT.* Verbum *cognoverit* immutandi cupidus facile petiit ex sequentibus. Dele igitur receptam variam lectionem *aut cognoverit*, id quod comprobat etiam interpres graecus, qui nil nisi ἤκουσε exhibet. Neque alio modo depravata sunt verba B. G. III. 6. *nullo hoste prohibente, AUT ITER DEMORANTE.*

Cave vero ne tentes, quae sequuntur: *quare ne committeret, ut is locus, ubi constitissent, ex calamitate populi Romani et internecione exercitus nomen caperet, AUT memoriam proderet.* Correxit Hotomannus *AC mem. prod.* Sed *aut* illud in rebus dictum similibus *descendentis* est, cui oppositum est alterum, quod *adscendentis* est. Illud i. q *aut certe*, hoc i. q. *aut omnino* valet. Prius cognoscas ex Virg. Aen. I. 74. *incute vim ventis submersasque obrue puppes, AUT age diversas.* Alterum notissimum habes B. G. I. 31. *si qua res non ad nutum, AUT ad voluntatem eius facta sit.* II. 30. *quibusnam manibus, AUT quibus viribus — tanti oneris turrim in muros sese conlocare confiderent?* Quae quum minus perciperent vel prorsus negligerent Grammatici, factum est, ut falso docerent, *aut* voculam res similes componere et i. q. *et, ac, atque* notare. Nunquam autem componit, sed semper disiungit vocula, neque unquam *et, at, atque* significat. Sed praeceptum illud falsissimum praeter interpretem novissimum nemo, spero, propagabit.

C. 15. Quo proelio sublati Helvetii — audacius subsistere, nonnumquum et novissimo agmine *proelio* nostros lacessere coeperunt. Caesar suos a proelio continebat] Alterum *proelio* non puto a Caesare profectum esse, quamquam eum eiusdem vocis repetitiones non vitasse bene teneo. B. C. II. 1. *partibus — partem — partibus — pars.* Videtur enim male seduli additamentum esse, quod ex sequentibus depromtum in margine adscriptum est, unde in *textum* irrepsit. Similiter B. G. IV. 34. legebatur, *ad lacessendum HOSTEM et ad committendum proelium.* Confer quae notabimus ad c. 25. Ceterum praepositio *ex* aut post *et* excidit, ut B. G. IV. 31. in Egmund. et B. C. II. 26. in MSS Oudendorpii; aut, quod veri videtur similius, pro *et* restituenda est, veluti B. G. IV. 14. *qui omnibus rebus subito perterriti, et celeritate adventus nostri ET discessu suorum.*

C. 17. qui *privatim* plus possint, quam ipsi magistratus] i. e. omnino, *qui privatim plus possint quam alii publice* Minime igitur pro *privatim*, quod Cdd. exhibent omnes, *privati* recipi potest.

hos seditiosa atque improba oratione multitudinem deterrere, ne frumentum conferant; quod praestare *dicant*, si iam principatum Galliae obtinere non possint, Gallorum, quam Romanorum, imperia perferre, neque dubitare *debeant*, quin —] Sic correxit Faernus.

Lb. *quod praestare debeant* et pro *perferre*, alii praeferre ex nota praepositionum confusione, alii *perferre satius esse*, alii *velle perferre*. Emendavit Oudendorpius, *quod praestare debeant. Si iam pr. G. obt. n. possint, G. q. R. imp. perferre, satius esse, neque dubitare, quin —.* Verisimilius esse videtur, quod dedit Herzogius, *quod praestare debeat, si iam pr. G. obt. n. possint, G. q. R. imp. perferre: neque dubitare debeant, quin —.* Sed neque hoc a Caesare profectum esse puto, neque id, quod suasit Daehnius, *quod praestare debeant. Si iam pr. G. obt. n. possint, G. q. R. imp. praeferre, neque dubitare, quin —.* Negligenter vertit metaphrastes, οὗτοι δ', ἔφη, εἰσὶν οἱ τοῖς σφῶν στασιώδεσί τε καὶ ἀνοσίοις λόγοις τὸ πλῆθος, μὴ ὑμῖν ἀποδοθῇ ὁ ὀφειλόμενος σῖτος, ἀποτρέποντες. Κἂν μὲν οἱ τοιοῦτοι τὴν τῆς Γαλατίας ἀρχὴν μὴ δύνωνται καταλαβεῖν, μᾶλλον αὐτὴν τῶν Ἑλβητίων ἢ τῶν Ῥωμαίων εἶναι ἐπιθυμοῦσιν. Arbitror vero equidem scripsisse Caesarem, *ne frumentum conferant ET quod praestare debeant.* (Favent verba Petrarchae, *ne frumenta exercitui ET necessaria quaelibet in tempore convectentur.*) *Si iam principatum Galliae obtinere non possint, Gallorum quam Romanorum imperia perferre satius esse: neque dubitare DEBERE, quin —.* Scilicet *debere* praecedente *debeant* corruptum est, uti *potuissent* antecedente *possent* B. G. II. 9. Item *habebant* pro *habuerant* substitutum est B. G. IV. 4. Ceterum confer verba Petrarchae, *asserentem* (Dumnorigem Aeduum) *Romanos, si Helvetios vicerint, non illic bellandi finem facturos esse, nempe Galliae, imo orbis ad imperium anhelantes. Proinde si penitus serviendum sit, multo aequius Aeduos suae iugum gentis laturos esse quam externae.*

C. 18. Si quid accidat Romanis) Mali notio in ipsa dictione inest, quare non est, cur *gravius* addamus, etsi dixit Caesar c. 20. *quod si quid ei a Caesare gravius accidisset.* Verte, ἤν τι γένηται τοῖς Ῥωμαίοις. Sic Eur. Phoen. 638.

Reperiebat etiam in quaerendo Caesar, quod proeliam equestre adversum paucis ante diebus esset factum; initium *eius fugae* factum a Dumnorige, atque eius equitibus] Explicant interpretes: *initium fugae eius proelii* (i. e. *in proelio*), *quod p. a. d. esset factum, a Dumnorige factum esse*, orationemque ἀνακόλουθον putant, quam equidem vix latinam censeo. Nam ut *fuga proelii* pro *fuga in, ex proelio* omnino dici possit (B. Civ. II. 32. extr.), certe *eius fugae* illo significatu a nemine dictum est. Miror itaque depravata verba nondum a quoquam correcta esse, praesertim quum error librariorum maxime vulgaris sit, ex quo *fugae* voci praecedenti adaptatum pro *fuga* invectum est. Petrarcha transtulit, *quod ipse, qui Aeduorum praefuisset equitatui, simulato metu primus fugiens ceteros fugere doxuisset.* Similiter B. G. V. 4. *in iis filiis* v. l. pro *in iis filio.*

C. 20. Divitiacus multis cum lacrimis Caesarem complexus obsecrare coepit] In Leidensi primo exaratur *multum*. Sic fere apud Virgil. Aen. 3. 348. *Et multum lacrimas verba inter singula fundit.* OUDEND. Adhibe potius quae infra leguntur, *haec quum PLURIBUS VERBIS flens a Caesare peteret*, et Oudendorp. ad B. G. IV 3. Sed vulgata lectio videtur servanda esse. Petrarch. *lacrimis manans.* B. G I. 32. *magno fletu auxilium a Caesare petere coeperunt.*

C. 23. proelium non *commisissent*] Andin. Oxon. et Bongars. tert. *commovissent*, quod debemus, ni fallor, correctori. V. ad B. G II. 23.

C. 24. Ipse interim in colle medio triplicem aciem instruxit legionum quatuor veteranarum, *ita uti supra se* in summo iugo duas legiones, quas in Gallia citeriore proxime conscripserat, et omnia auxilia *conlocaret;* ac totum montem hominibus compleri — iussit] Oleum perdidit et operam, qui perversam hanc lectionem defendere studuit. Quaenam enim rerum coniunctio est? Quomodo enim omnino fieri potuit, ut Caesar *in colle medio* aciem triplicem instrueret, ita ut duas legiones *ad aciem non pertinentes* supra se *in summo iugo* collocaret? Neque minus tenor dictionis ineptus est: *Caesar — aciem instruxit, ita uti supra se in summo iugo duas legiones — conlocaret; AC — iussit.* Iam quum omnes MSS praeter unum Leid. *conlocari* et Lb. optimi *ita uti supra; sed* exhibeant, incurrit quasi in oculos, verba *ita uti supra* margini adlita corruptionis ansam dedisse. Scilicet respiciunt haec ad c. 22. *Caesar suas copias in proximum collem subducit: aciem instruit*, id quod iam vidit Oudendorpius. Similiter depravata sunt verba B. G. IV. 38. *qui* (Morini) *quum propter siccitates paludum, quo se reciperent, non haberent, (quo* (perfugio) *superiore anno fuerant usi) omnes fere in potestatem Labieni venerunt.* Nimirum *quo* (perfugio) *superiore anno fuerant usi* praepostere inculcata neque a Caesare sed ab interprete profecta sunt, ut c. I. docebimus. Nostrum autem locum correximus iam ad c. II.

C. 25. Romani *conversa* signa bipartito intulerunt: prima ac secunda acies, ut victis ac submotis resisteret; tertia, ut venientes exciperet] Quum tertia tantum acies signa *conversa* intulerit, neque prima ac secunda, *conversa* aut corruptum, aut a manu aliena adiectum est. Possis igitur *universa* proponere. Sed quum plures Lb. et metaphrastes *conversa* omittant, quod VV. DD. ne notatu quidem dignum habuerunt, veri est similius, illam ineptam *παρεπιγραφὴν* esse. Cuiusmodi in Caesare permultas deprehendimus, veluti *in hibernis* B. G. II 1. *duodecimo die* II. 2. *eadem* II. 6 *ad luxuriam pertinentium* II. 15. *desertos* II. 25. *una* II. 29. *dixerunt* II. 31. *ad hiemandum* III. 1. *et si quos intercipere potue-*

runt III. 8. *ex finibus* IV. 1. *et ceteris* IV. 3. *in Oceanum influit* IV. 10. *ad ea, quae iusserat Caesar, facienda* IV. 30. *quam quibus in reliquis utimur maribus* V. 1.

C. 26. Ex eo proelio circiter milia hominum CXXX. superfuerunt: eaque tota nocte continenter ierunt: *nullam partem noctis itinere intermisso*, in fines Lingonum die IV pervenerunt] Locus non magis sincerus est quam B. G. II. 22. *quum DIVERSIS LOCIS legiones ALIAE ALIA IN PARTE hostibus resisterent.* Scilicet confusae sunt vv. ll. *tota nocte continenter ierunt* et *nullam partem noctis itinere intermisso (ierunt).* Altera sic similis est alteri, ut ovum vix ovo dici queat similius. Dele igitur, quod suppositum est, *nullam partem noctis itinere intermisso.* Ceterum adhibe quae notabimus ad B. G. II. 8.

C. 28. resciit] Recte recepit Oudendorpius pro *rescivit.* Fab. Quintil. Instt. Or. I. 6. 17. inhaerent quidam molestissima diligentiae perversitate, ut *audaciter* potius dicant quam *audacter*, licet omnes oratores aliud sequantur; et *emicavit*, non *emicuit*, et *conire*, non *coire*. His permittamus et *audivisse* et *scivisse* et *tribunale* et *faciliter* dicere.

C. 29. et item separatim pueri —] i. e. *et item separatim erant pueri —.*

C. 30. Bello Helvetiorum confecto totius fere Galliae legati, principes civitatum, ad Caesarem gratulatum convenerunt] Sic editores perperam distinguunt. Recte reddidit Petrarch. p. 30. *ferme igitur ex omnibus Galliarum urbibus legationes principum gratulantes ad Caesarem venerunt.* Verba enim non magis divellenda sunt quam c. 7. *legatos ad eum mittunt nobilissimos civitatis*, aut B. G. VII. 32. *legati ad eum principes Aeduorum veniunt.* Aeque male editur B. G. II. 13. *obsidibus acceptis, primis civitatis atque ipsius Galbae regis duobus filiis.*

C. 31, iidem principes civitatum, qui ante fuerant ad Caesarem, reverterunt, petieruntque, uti sibi *secreto in occulto* de sua omniumque salute cum eo agere liceret] Ut hic *secreto* et *in occulto* coniuncta legimus, sic B. G. VI. 8. *eum iis* et *comitati eos* invenimus. Utrumque locum nemo, spero, recte defendet. Ac satis puto patere aut *secreto* aut *in occulto παραπιγραφὴν* esse. Nam *et* ab eo demum interpositum est, qui *secreto in occulto* dici non posse bene intellexit. Iam quum *secreto* genuinum esse evincant quae sequuntur, *ne ea, quae dixissent, enuntiarentur*, spurium *in occulto* est. Idem confirmat Petrarch. p. 30. *primores Gallorum revertuntur petitoque et concesso SECRETIORE colloquio* etc. Adde quae exponemus ad B. G. II. 8.

in eos omnia exempla cruciatusque edere] Explicant interpretes *exempla cruciatuum.* Sic c. 44. *non sine magna spe magnisque praemiis.* Cuiusmodi plura vide sis ap. Buenem. ad Lactant. I.

p. 344. et ap. Davis. ad Cic. Tusc. III. 16. Arbitror vero equidem, *exempla cruciatusque* vix aliter dictum esse quam *supplicia cruciatusque* B. G. IV. 15. Notum est, *exempla* pro *poena* dici, quae aliis exemplo sit. V. Gell. N. A. VI. 14. et Dorvill. ad Charit. p. 427. 88. 19.

non posse eius imperia diutius *sustineri*] Rectius Lb. plurimi et optimi *sustinere*, sc. *se*. Quod quum in tali orationis conformatione facile suppleri possit, non inferendum est. V. B. G. V. 41. extr. Saepius autem librarii aut verbi formam passivam aut pronomen temere invexerunt. Confer vv. ll. B. G. V. 27. 36. VI. 8. VII. 14. al.

C. 32, *quorum* oppida —] *quorumque* MS. Ciac. et Reg. cum Metaphr. rectius forsan. OUDEND. Sic c. 28. *quibus illi agros dederunt, quosque postea in parem iuris libertatisque conditionem, atque ipsi erant receperunt.* Sed non est cur vulgatam lectionem immutemus. B. G. I. 16. II. 24. III. 17. al.

C. 31. Quamobrem placuit ei, ut ad Ariovistum legatos mitteret, qui ab eo postularent, uti —] *legatos* deest in Gottorp. et Voss tert. Ex eadem correctione Andin. et Oxon. B. G. IV. 16. *ad Caesarem miserant.* Nec magis eiicere possumus *qui ab eo postularent*, quae non leguntur in aliquot editt. Certe non magis offendunt quam *qui dicerent* et similia in simili dicendi genere. B. G. IV. 16 *ad quos quum Caesar nuncios* (c. 19.) *misisset, qui postularent, eos, qui sibi Galliaeque bellum instulissent, sibi dederent, responderunt.* Ceterum confer Oudendorp. ad B. G. II. 3. Eundem, ut hoc attingam, *coniecturam* proposuisse. *placuit ei ad Ariovistum mittere, uti aliquem* —, falso refert Daehnius.

uti aliquem locum medium utriusque conloquio *diceret*] MSS. fere omnes *deligeret.* Andin. et Oxon. *diceret*, ex c. 42. Hoc aptum, illud non ineptum est. Sed *deligeret* et metaphrastes confirmat et Fr. Petrarcha. Ille enim ἐξαιρεῖσθαι reddidit; hic habet: *loci ad id ac temporis opportuni ELECTIONEM regis esse.* Nep Datam. 11. Adde B. G. IV. 19. *hunc* (locum) *esse DELECTUM medium fere regionum earum.* Contra *diceret* correctorem olet. V. ad B. G. II. 23. 24. Eodem iure etiam *constitueret* inferre possumus ex c. 47.

si quid ille se velit] *a se* Reg. L. sec. V. tert. Duk. et Edd. qdd. male. OUDEND. Bene, puto equidem. Praecedenti *si quid ipsi a Caesare opus esset* opponi debet, *si quid ille a se velit.* Recte Petrarch p. 32. *ego si Caesaris egerem, ad eum venirem: ipse si mei eget, ad me veniat.* Metaphr. εἴ τι παρ' ἐμοῦ θέλει. Saepius autem in optimis MSS. excidit praepositio. V. B. G. I. 44. 33. 28. II. 19. 24. al.

C. 38. Quum *tridui viam processisset*, nunciatum est ei, Ariovistum cum suis omnibus copiis ad occupandum Vesontionem,

quod est oppidum maximum Sequanorum, contendere, *triduique viam* a suis finibus *processisse*] Etiamsi nulla exstaret lectionum varietas, tamen verba illa corrupta esse unusquisque intelligeret. Miror itaque, qui annotari potuerit, *vulgatum bene habet.* Nam hoc est illud *contenti estote.* Pro *processisse* autem in MSS. aliquot *discessisse* legitur, sed in plurimis optimisque *profecisse.* Hoc ex correctione ortum minime probabile est. Sed non magis *processisse* probari potest, quia aeque atque *tridui viam* ex nota in margine adscripta in textum, quem vocant, irrepsit. Nam si Ariovistus aeque ac Caesar tridui viam processisset, id Caesar non tam nude ac sine ullo respectu eiusdem a se confecti itineris tradidisset. Sed commentum illud, quod cognosces etiam ex verbis Petrarchae, *iam tridui iter exegerat, cum EGRESSUM ILLUM FINIBUS ad nobile Sequanorum oppidum Vesuncionem occupandum ingenti cum exercitu properare comperit,* facile rimari possumus. Scilicet pro genuino *discessisse* proposuit aliquis *processisse*, eique quippe ex superioribus depromto eundem *tridui viam* addidisse non mirum est. Quo non intellecto factum est, ut librarii non solum *processisse*, sed etiam *tridui viam* perperam reciperent. Genuinum igitur, ni fallor, hoc est: *Arioristum — contendere atque a suis finibus discessisse.*

montis —] Vulg. *eius montis.* Recte. Nam pronomen dicendi genus Iulianum exigit. B. G. I. 40. *convocato consilio omniumque ordinum ad id consilium adhibitis centurionibus.* II. 13. *qui quum se suaque omnia in oppidum Bratuspantium contulissent atque ab eo oppido* etc.

C. 39. Hic primum ortus est a tribunis militum, praefectis, reliquisque, qui ex urbe, amicitiae caussa, Caesarem secuti, *magnum periculum miserabantur, quod non magnum in re militari usum habebant*] *quod non magnum in re militari usum habebant* referre debemus ad *magnum periculum miserabantur.* Quam inepta autem hoc modo evadat sententia, non est quod doceam. Videtur *magnum periculum miserabantur* mera esse scioli παρεπιγραφὴ eaque ex sequentibus petita, qua recepta *quod* additum est. Dele igitur, quae MSS. aliquot et editt. rett. non habent, *magnum periculum miserabantur, quod.* Idem vel metaphrastes confirmat, qui locum sic vertit: καὶ οὗτος πρῶτον ὁ φόβος τοῖς τε ταξιάρχοις καὶ τοῖς στρατηγοῖς, τοῖς τ' ἐκ τῆς Ῥώμης τὸν Καίσαρα κατὰ φιλίαν μόνον ἀκολουθήσασιν, ὅμως δὲ οὐ πάνυ πρὸς τοὺς ἐναντίους ἀλκίμοις οὖσιν, ἐνέφυ.

C. 40. quod aut quam in partem, aut quo consilio ducerentur, sibi quaerendum *aut* cogitandum putarent] *aut* ante *cogitandum* ex antecedentibus repetitum neque a Caesare scriptum est,

Perperam propagant editores. Corrigendum enim est *ac cogitandum.* V. ad c. 13.

scire enim, quibuscumque exercitus dicto audiens non fuerit, aut, male re gesta, fortunam defuisse; aut, aliquo facinore comperto, avaritiam esse *convictam*] Lb. optimi et numero plurimi partim *coniunctam*, partim *comvinctam* exhibent. Illud qui nuper defendebat, et *male re gesta* atque *aliquo facinore comperto*, et *fortunam defuisse* atque *avaritiam esse coniunctam* sibi opposita putabat. Sed eiusmodi oppositiones nemo concedet Caesari, sed homini potius ludibundo. Neque *esse coniunctam*, sed *fuisse coniunctam* ille dixisset, si tale quid effinxisset. Arbitror igitur particulis *aut*, *aut* nonnisi disiunctiones fieri iisque opposita esse sequentia, *suam innocentiam perpetua vita*, *felicitatem Helvetiorum bello esse perspectam.* Ex quibus illud *esse perspectam* satis, puto, innuit, genuinam lectionem non *coniunctam*, sed *convictam* esse. Atque eandem notionem flagitat propemodum *aliquo facinore COMPERTO.* Neque aliud quidquam sequutus est metaphrastes, qui haec habet: ἢ ὅτι ἐν τῷ πολέμῳ ἡττήσαν, ἢ τ' οὖν τι κακουργήσαντες πάντως ἄδικοι ἠλέγχθησαν.

Huic legioni Caesar et indulserat praecipue, et propter virtutem confidebat maxime] Neganti haec a Caesare profecta esse non contradicam equidem. Nam si eius essent, non fuisset profecto, cur paullo post repeteret, *cui* (legioni decimae) *maxime confidebat.* Huc accedit, quod eiusdem emblematis Fr. Petrarcha nullam mentionem facit. Ex quo eum verba illa fortasse in margine notata, sed nondum in textum illata legisse certo paene colligimus. Itaque quum vel dictio *indulserat praecipue* ex B. G. VII. 40. depromta et illud *confidebat maxime* ex c. 42. tralatum sit, lacinias istas delendas esse existimo. Similiter c. 13. verba adscripticia, *legati ab Helvetiis ad Caesarem missi pacem petitum cum denunciatione terroris* in multis et vetustissimis MSS. post *agit* leguntur. Ceterum confer ad c. 25.

C. 41. per Divitiacum, quod ex aliis ei maximam fidem habebat] Vulg. *ex aliis Gallis.* Sed *Gallis* aeque spurium est atque *causis*, quod post *ei* legitur in Leid. pr. Similiter inculcata sunt c. 14. *legati Helvetii*, c. 43. *a Romanis.*

C. 42. cui (legioni decimae) *quam* maxime confidebat] *quam* sequente eadem vocula non magnam auctoritatem habet. Neque legit, qui illa ad c. 40. adscripsit. Nec magis propugnabo pro *ei* pronomine in verbis, *plus, quam pollicitus esset, Caesarem ei facere.* Vulgo deest et recte, puto. Nam minus gratum adeoque absurdum est. V. ad c. 13. et adhibe verba Petrarchae, *plus, inquit, Caesar praestat quam promisit.*

C. 44. si iterum experiri velint, iterum paratum sese decertare; si *pace uti velint*] MSS. Urs. et Andin. cum aliquot editt.

pacem malint. Unde coniicias, *si pacem velint,* i. e. *si pacem praeferant,* ut Petrarcha transtulit et metaphrastes. Certe *pace uti* praecedenti *experiri* adaptatum et *malint* ex explicatione ortum esse videatur.

fines egressum] v. l. *finibus.* Illud aeque probum est atque ἐκβαίνειν τι. Plat. Polit. VII. 537 D. Herod. VII. 29. Liv. V. 57. al.

C. 47. si id minus vellet, ex suis *legatis* aliquem ad se mitteret] *legatis* ineptum est et videtur ex nota *marginali* pro *legatum,* quae est vocis *aliquem* explicatio, in textum illatum esse. Lege igitur, *ex suis aliq. ad se m.* Metaphr. ἢ γοῦν τινα τῶν ἑαυτοῦ πρὸς ταῦτα παρ' ἑαυτὸν πέμπειν. Petrarch. *alioquin ex suis aliquos ad se mitti petiit.*

Commodissimum visum est, C. Valerium Procillum — et propter fidem et propter linguae Gallicae scientiam, qua multa iam Ariovistus, *longinqua* consuetudine, utebatur — ad eum mittere] Emendo, *qua multa iam Ariovistus consuetudine utebatur.* Petrarch. p. 43. *et propter linguae Gallicae notitiam, QUAM IPSE ETIAM ARIOVISTUS diu Gallis incumbendo DIDICERAT.* Recte legit, sed praepostere vertit metaphrastes, ᾗ (τῇ Γαλατικῇ διαλέκτῳ) διὰ τὴν συνήθειαν ὁ Ἀριόβιστος ΤΑ ΠΟΛΛΑ ἐχρῆτο. V. ad B. G. II. 8.

C. 50. paullumque a maioribus *(castris)* progressus aciem instruxit; *hostibusque* pugnandi copiam fecit] MSS. plurimi et editt. vet. *hostibus* omissa *que* vocula. Recte. B. G. I. 18. *eadem secreto ab aliis quaerit; reperit esse vera.* I. 48. *Ariovistus his omnibus diebus exercitum castris continuit; equestri proelio quotidie contendit.* IV. 27. *hostes — legatos de pace miserunt; obsides daturos, quaeque imperasset facturos polliciti sunt.*

C. 51. Postridie eius diei Caesar *praesidio* utrisque castris, quod satis esse visum est, *reliquit:* omnis alarios in conspectu hostium pro castris minoribus constituit] vv. ll. *praesidio relicto* et *praesidium reliquit* iis debemus, qui illud *praesidio reliquit* non intellexerunt. Neutrum igitur probandum est, etsi Ablativos, qui dicuntur, Absolutos flagitat Herzogius. Sed iis nos carere posse satis posset c. 4. princ. Adde B. G. V. 2. *huic rei quod satis esse visum est militum, reliquit: ipse cum legionibus expeditis IV et equitibus DCCC in finis Trevirorum proficiscitur.* II. 11. *ita sine ullo periculo tantam eorum multitudinem nostri interfecerunt, quantum fuit diei spatium: sub occasum Solis destiterunt seque in castra, ut erat imperatum, receperunt.* II. 29. *Aduatuci — ex itinere domum reverterunt: cunctis oppidis castellisque desertis sua omnia in unum oppidum egregie natura munitum contulerunt.* Ceterum locum nostrum sic debes constituere: *postridie eius diei Caesar praesidio utrisque castris, quod satis esse visum est, reliquit; omnis alarios in conspectu hostium pro castris minoribus constituit,*

quo minus multitudine militum legionariorum pro hostium numero valebat, ut ad speciem alariis uteretur: ipse triplici instructa acie usque ad castra hostium accessit. Confer B. G. V. 2. 1. 24. extr. et 52. princ.

quae *(mulieres)* in proelium proficiscentes milites *passis crinibus* flentes implorabant, ne se in servitutem Romanis traderent] v. l. *passis manibus.* Sed neque *passis manibus* neque *passis crinibus* Caesaris esse existimo. Atque aliud prodit translatio Petrarchae, *FLETIBUS ALTIS orantes, ne Romanis ad servitutem traderentur,* quem legisse suspicor, *SUPINIS manibus.* Pro *supinis manibus* autem ex explicatione *passis manibus* et pro eo *passis crinibus* perperam substitutum est. Est autem *supinis manibus* i. q. ὑπτιάσμασιν χερῶν apud Aeschylum.

C. 52. Caesar singulis legionibus singulos legatos, et quaestorem praefecit; uti eos testis suae quisque virtutis haberet. Ipse a dextro cornu — proelium commisit] Correctionem, *Caesar singulis legionibus singulos legatos et quaestorem praefecit, uti eos testis suae quisque virtutis haberet: ipse a dextro cornu — proelium commisit,* indicavimus ad c, 50.

SCHEDAE CRITICAE
IN C. I. CAESARIS
COMMENTARIORUM DE BELLO GALLICO
LIBRUM SECUNDUM.

C. 1. Quum esset Caesar in citeriore Gallia *in hibernis,* ita uti supra demonstravimus] Supra demonstratum est, Caesarem *exercitum* hiematum in Sequanos deduxisse, *ipsum* vero in citeriorem Galliam *ad conventus agendos* profectum esse. Itaque illud *in hibernis* pessimum additamentum est, id quod etiam ex eo patet, quod unus ne dicitur quidem in hiberuis esse. Recte Petrarch. p. 46. *Caesari cisalpina in Gallia demoranti et famae vocibus et Labieni literis nuntiatur.* Male, ut solet, transtulit metaphrastes, τοῦ Καίσαρος, ὡς καὶ ἤδη ἐν τῷ πρόσθεν λόγῳ δεδήλωται, ἐν τῇ Ἰταλίᾳ χειμάζοντος. Nam vertit modo, αὐτὸς δὲ εἰς τὴν Ἰταλίαν πρὸς τὸ συνόδους ποιεῖσθαι ἀπῆλθεν. Aeque

C. 2. inita aestate] a manu aliena adiectum esse censeo. Suspicionem confirmat varia temporis definitio. Scilicet MSS. etiam

ineunte aestate exhibent atque unus adeo *inita hieme*. Ac testis est Petrarcha, qui nil nisi hoc habet: sane his rumoribus Caesar motus duas nunc etiam legiones citeriore scribit in Gallia *easque per Quintum Pedium, legatum suum, ulteriorem in Galliam transmittit*. Neque alio vitio affecta sunt sequentia:

tum vero dubitandum non existimavit, quin ad eos [*XII. die*] proficisceretur] Per se iam apparet, quam absonum atque ineptum sit *XII. die*. Recte igitur plerique MSS. omittunt. Frustra autem student VV. DD. locum his verbis expunctis sanissimum coniecturis tentare. Neque tentassent, opinor, nisi errore haud vulgari inducti essent. Nimirum ex eo, quod Petrarcha habeat *confestim*, metaphrastes vero ὡς τάχιστα ἰέναι, alius *propere* protulit, alius *proxumo die*. At vero Petrarcha vocabulo *confestim* totam Caesaris ῥῆσιν complexus sic scripsit: *confestim igitur motis castris quintodecimo die Belgarum fines attigit*. Metaphrastes vero aut locum non intellexit, aut modo recondito sic descripsit: ταῦτα τῷ Καίσαρι ἀκούσαντι οὐκ ἀμφισβητητέον τοῦ μὴ ὡς τάχιστα ἐπ' αὐτοὺς ἰέναι ἔδοξεν. Scilicet *dubitandum non existimavit, quin ad eos proficisceretur* i. est q. *non cunctandum existimavit, quin ad eos proficisceretur*, i. e. *celeriter ad eos proficiscendum existimavit*. Quare verba illa non minus sincera sunt quam B. G. III. 23. *non cunctandum existimavit, quin pugna decertaret*. Confer ad B. G. III. 12.

C. 3. Remi — legatos — miserunt, *qui dicerent*] *qui dicerent* et similia in hoc dicendi genere adduntur interdum, interdum vero omittuntur. Quamobrem non suppetit caussa idonea, cur h. l. contra auctoritatem plurimorum Lb. *qui dicerent* expungamus: praesertim quum illud omittentes MSS. Andin. atque Oxon. haud raro emendatorem prodant. V. ad B. G. I. 34.

qui *cis Rhenum incolunt*] v. l. *ripas Rheni incolunt* egregio potest documento esse, quoties Caesar παρεπιγραφαῖς corruptus sit. Scilicet ad *Rhenum* adscripserat aliquis in margine *ripas Rheni* ex B. G. I. 37. 54. ita ut legi posse indicaret, *qui cis ripas Rheni incolunt*. Sed id non intelligentes librarii perperam effinxerunt, *qui ripas Rheni incolunt*. Similiter contaminata sunt verba

C. 4. qui *(Nervii)* maxime feri inter ipsos habeantur, *longissimeque absint*] Ultima quominus ad remotum terrae situm referamus, iam eo prohibemur, quod Menapii et qui his adiacent, paullo sunt remotiores. Levissimum enim est, quod opponebat Heldius: denn, wenn auch streng genommen die Wohnsitze der Menapier sich noch etwas weiter nördlich hinauf erstreckten, als die der Nervier, so wohnten doch diese nördlicher, als alle übrigen hier genannten Völker. Da nun der Charakter der Nervier den besondern Zusatz veranlasst hatte *qui maxime feri inter ipsos habeantur*, *der grössere Grad von Wildheit der Belgischen Völker*

aber mit ihrer weiter nach Norden entfernten Lage im Zusammenhange gedacht wurde, (vergl. I, 1.), *so scheint es eine vollkommen* [!] *richtige und der Sache angemessene Gedankenverbindung zu seyn*, wenn an die Erwähnung der besondern Wildheit der Nervier auch die von ihrer besonders weiten Entfernung angeknüpft wurde; *in der letzteren lag gewissermassen der Grund der ersteren.* Ut haec vera sint, nonne idem, quod de feritate disputatum est, etiam in Menapios cadit? Falso igitur relatum esset, Nervios inter Belgas *maxime* feros fuisse, quum fuerint Menapii iisque finitimi. Sed in perspicue falsis non amplius morandum est. Patet, puto, *longissimeque absint* ex adscripto *longissime* (ut est in Voss. sec.) *absunt* (quod Leid. pr. exhibet) confectum esse. Hanc autem truncatam esse *παρεπιγραφὴν* ex B. G. T. 1. *a cultu atque humanitate — LONGISSIME ABSUNT* nemo non intelligit. Quare verba illa explodenda sunt. Neque legit ea gravissimus auctor Fr. Petrarcha. Habet enim, *totidem Nervios, OMNIUM FERISSIMOS.* Similis sedulitas corrupit etiam B. G. III. 9.

C. 6. Gallorum *eadem* atque Belgarum oppugnatio est *haec*] Aut *eadem*, aut *haec* alienum videtur. Metaphr. *τῇ αὐτῇ δὲ οἵ τε Γάλλοι καὶ οἱ Βελγοὶ προσβολῇ χρῶνται.* Equidem *eadem* expungere malim. V. ad B. G. I. 25. et confer B. G. II. 18. IV. 33. B. C. I. 79.

portas *succedunt* murumque subruunt] Lb. fere omnes *succendunt.* Metaphr. *οὕτως τε τῶν πυλῶν τῆς πόλεως ἐπιβάντες τὸ τεῖχος καθαιροῦσιν.* At qualis haec est rerum coniunctio? Nihilominus editores *succedunt*, quod et externa et interna fide prorsus caret, praetulerunt. Sed eos iam Petrarcha erroris convincit, ut bene animadvertit emendationum auctor.

C. 8. quotidie tamen equestribus proeliis, quid hostis virtute posset, et qui nostri auderent, *periclitabatur*] Pro *periclitabatur* MSS. Urs. Andin Oxon. Leid. pr. Cuiac. al. *sollicitationibus exquirebat*, Leid. tert *experiebatur.* Sed vv. ll. nonnisi notas *marginales* esse scriptura Leid. sec. *sollicitationibus exquirebat, periclitabatur* luculenter evincit. Errore enim satis vulgari et genuinum retentum et nota marginalis in ordinem verborum illata est. Notabilis autem ista est confusio, quod quae hic in uno tantum exstat Codice, alias reperitur in omnibus. Quare quae h. l. deprehenditur a quolibet, saepius alias a nemine detegitur. Huiusmodi locus est B. G. I. 47. *propter linguae Gallicae scientiam, qua multa iam Ariovistus longinqua consuetudine utebatur.* Referunt alii *qua multa* ad linguam, alii ad scientiam. Utroque nihil novi ineptius. Nam et *lingua multa uti* futile est et *scientia multa uti.* Vertit quidem metaphrastes, *ἢ (τῇ Γαλατικῇ διαλέκτῳ) διὰ τὴν συνήθειαν ὁ Ἀριόβιστος τὰ πολλὰ ἐχρῆτο*, sed pessime vertit, praesertim quum locum adhuc sanum ante oculos habuerit. Legit

scilicet, *qua multa iam Ariovistus consuetudine utebatur.* Sed *multa* aperte pertinet ad consuetudine, ut vidit iam, qui explicationem *longinqua* margini adlevit, quam iure nos explosimus. Neque aliter depravata sunt verba B. G. VI. 8. *cum iis propinqui Indutiomari, qui defectionis auctores fuerant, comitati eos ex civitate excessere.* Miror egregiam editorum patientiam vel negligentiam, qui manifestum illud emblema *comitati eos* ad unum omnes propagant. Aperta enim παρεπιγραφὴ est ad *cum iis*, quare mecum expungas. Idem vitium inesse videtur in verbis Cic. Brut. 51. 191. *legam, inquit, nihilo minus: Plato enim mihi unus instar est OMNIUM MILLIUM.* Aut *omnium*, aut *millium* delendum est. Nam *omnia millia* non solum frigidum, sed etiam ineptum est. Bene quidem Cic. Att. 2. 5. *unus Cato mihi est pro centum millibus.* Sed id huc non transferam. Arbitror potius, *millium* a sciolo ex Cic. l. c. in margine notatum in textum irrepsisse. Confer Epist. Phalar. 102. εἷς γὰρ ἀνὴρ ἐμοὶ τοιοῦτος ἀπάσης ἐστὶ Σικελίας μέτρον. Aeque corrupit nota marginalis Cic. Brut. 87. 297. *haec quum ille dixisset, Longi sermonis initium pepulisti, inquam, Attice, remque commovisti nova disputatione dignam.* Quum nemo dixerit *initium sermonis pellere*, verbum *pepulisti* spurium esse quilibet intelligit. Ac videtur mera esse παρεπιγραφὴ ad *commovisti.* Bene igitur Guelferb. pr. omittit. Est autem, ut hoc in gratiam Viri Docti attingam, *initium* non Nominativus, sed Accusativus, locusque sic scribendus est: *haec quum ille dixisset, Longi sermonis initium, inquam, Attice. Remque* (Offic. I. 39. 140) *commovisti nova disputatione dignam, quam* etc. Confer Cic. Fin. II. 6. 17. *tum ille, Finem, inquit, interrogandi, si videtur.* Ibid. IV. 28. 80. *scrupulum, inquam, abeunti; sed videbimus.* Ceterum vitia similia vide sis B. G. I. 26. 31. II. 19. 20. 22. III. 3. IV. 2. V. 2. al.

Sed redeunti mihi, unde digressus sum, non negandum est, posse minus rotunda videri, *quid hostis VIRTUTE posset et quid nostri auderent.* Est autem *virtute posse* una quasi notio, nam *quid hostis virtute posset et quid nostri auderent, periclitabatur* nihil est aliud quam *robur hostis et audaciam nostrorum experiebatur.* Idem bene intellexit metaphrastes, sed eo non intellecto egregie abusus est Daehnius. Nihil igitur desiderare possumus.

ex utraque parte *lateris deiectus* habebat] Male metaphr. καθ' ἑκάστην μὲν τῶν πλευρῶν κατωφερὴς ἦν. Coniunge potius *lateris deiectus*, i. e *Seitenabschüsse.* Huiusmodi enim notiones aut illo modo formant Latini, aut proposito adiectivo, veluti *naturalis historia, Naturgeschichte.*

ab utroque latere —] *ein auffallendes Anacoluthon*, inquit Herzogius, quocum interpretes, quos vidi, omnes consentiunt. Male quidem. Supra enim signo post *intellexit* deleto legendum est,

ubi nostros non esse inferiores intellexit loco pro castris ad aciem instruendam natura oportuno atque idoneo. Praesentis Infinitivus vix tironem offendet. B. G. VII. 21. *quod penes eos, si id oppidum retinuissent, summam victoriae constare intellegebant.*

C. 9. eo consilio, ut, si possent, castellum — expugnarent, pontemque interscinderent: si minus *potuissent*, agros Remorum popularentur] „Quum Codices, V. D. inquit, vel *possent* vel *potuissent* praebeant, id claro est indicio, neutrum a Caesare esse profectum.“ Equidem ex hac discrepantia colligo, *potuissent* a Caesare scriptum, *possent* ex antecedentibus a correctore substitutum esse. V. ad B. G. IV. 4. Testatur autem idem V. D. Fr. Petrarcham, cuius verba haec sunt: ut si possent, castellum a Titurio insessum caperent pontemque confringerent: *si minus*, vicina arva vastarent.“ Eique eo plus tribuit, quod quae Caesar breviter scripserit, uberius explicare soleat. At quum Caesar nihil fere perscripserit brevius, Petrarcha nihil fere explicuit uberius. Immo dictum illud prorsus convertendum est. Itaque quum quae Caesar dixit pluribus, Petrarcha reddiderit paucissimis, illud *si minus*, auctoritate destituitur. Sic Caes. B. G. I. 35. *si id ita fecisset, sibi populoque perpetuam gratiam atque amicitiam cum eo futuram: SI NON IMPETRARET*, contra Petrarch. p. 33. *si haec faceret, posse amicitiam inter cum Romanosque consistere: ALIOQUIN —.*

C. 11. T. Labienum legatum cum legionibus *tribus* subsequi iussit] *tribus* non habet Egmund. neque Petrarcha exhibet. Fortasse aeque spurium est ac *duodecimo die* B. G. II. 2. et *quatuor* B. G. III. 26.

Hi novissimos adorti, et multa milia passuum prosecuti, magnam multitudinem eorum fugientium conciderunt] Exspectabas potius *prosecuti — adorti*, quemadmodum transtulit Petrarcha, *qui impigerrime profecti et nocturna fuga fessos ac dispersos assecuti maximam ex his stragem ediderc.* Sed cave quidquam mutes. Nam *et multa milia passuum prosecuti* explicare debemus, *et multa quidem m. p. pr.*

quum ab extremo agmine, ad quos ventum erat, consisterent; fortiterque inpetum nostrorum militum sustinerent; *priores* — omnes in fuga sibi praesidium ponerent] Cdd. aliquot et edtt. vett. *prioresque.* Recte. B. G. VII. 40. *progressus milia passuum XXV, agmen Aeduorum conspicatus, inmisso equitatu iter eorum moratur atque inpedit interdicitque omnibus, ne quemquam interficiant.* Iecta videtur *que* vocula, quod minus notum fuit, Latinos etiam in oppositis copulis usos esse. Sed opposita illa non mera sunt opposita, sed nexu simul coniuncta sunt. Unde fit, ut in his et copulis et particulis *adversativis* locus sit. Itaque falli eos apparet, qui copulas vim *adversativam* habere putant, quum eam

vel post sententias negativas non induerint. Ex eo enim, quod nos in dictionibus eiusmodi non copulis, sed particulis *adversativis* uti solemus, nondum efficitur, Romanos copulas pro voculis *adversativis* dixisse. Huiusmodi autem exempla in quovis invenies auctore. Confer. B. G. III. 19. *factum est —, ut ne unum quidem nostrorum impetum ferrent, AC statim terga verterent.* VI. 7. *sese suas exercitusque fortunas in dubium non devocaturum, ET postero die prima luce castra moturum.* Cic. Offic. I. 7. 22. *non nobis solum nati sumus ortusQUE nostri partem patria vindicat, partem amici.* Immo post *neque, nec* positam copulam nos plane non possumus imitando assequi. Cic. Tusc. I. 23. 54. *neque nata certe est et aeterna est.* Fam. X. 1. *nec miror et gaudeo,* i. e. *et non miror et gaudeo.* V. ad B. G. IV. 1.

Ita sine ullo periculo tantam eorum multitudinem nostri interfecerunt, quantum fuit diei spatium: sub *occasumque* solis destiterunt —] Mira est ratiocinatio, qua Oudendorpius *sub occasumque* comprobat. Vocula *que*, ut saepius, a manu aliena adsuta est. Confer quae exposuimus ad B. G. I 51. Ceterum quum non multitudo caesorum, sed caedis tempus cum spatio diei componi debeat, non potest *tantam* ad *quantum* referri. Explicat quidem interpres *quantum fuit diei spatium* sic: *quantam* (multitudinem) *interficere licuit per diei spatium.* Sed eiusmodi explicationis non suscipiam equidem patrocinium. Neque utar ad eam defendendam B. G. IV. 35. *quos tanto spatio secuti, quantum cursu et viribus efficere potuerunt;* aut B. G. V. 19. *ut tantum in agris vastandis hostibus noceretur, quantum labore atque itinere legionarii milites efficere poterant.* Loco enim priore *quantum efficere potuerunt* aperte i. est q. *quanto sp. sequi potuerunt;* et loco altero *quantum efficere poterant* aperte i. est q. *quantum nocere poterant.* Longe igitur aliud est *quantum fuit diei spatium.* Itaque verba sic expedire debes: ita nostri tantam eorum multitudinem, *quantam interfecerunt*, sine ullo periculo interfecerunt, quantum f. d. sp." Confer B. G. III. 13. *tantas tempestates Oceani tantosque impetus ventorum sustineri, ac tanta onera navium regi velis non satis commode arbitrabantur.* Male Petrarch. p. 51. *quam longa dies, tam longa fuit etiam hominum caedes.* Negligenter metaphr. ὥστ' ἀκινδύνως οἱ Καισάρειοι, ἐφ' ὅσον ἡμέρα ἐγένετο, ἀποκτείνοντες αὐτοὺς οὐκ ἐπαύσαντο.

C. 13. Caesar, obsidibus acceptis, primis civitatis, atque ipsius Galbae regis duobus filiis] Perversam interpunctionem correximus ad B. G. I. 30.

C. 15. nihil pati vini, reliquarumque rerum, *ad luxuriam pertinentium,* inferri] Cdd. optimi omittunt verba *ad luxuriam pertinentium.* Quae quomodo excidere potuerint, vix quisquam intelliget; sed quomodo illata sint, unusquisque facile perspiciet. Habet metaphra-

stes, μηδὲ οἶνον καὶ ἄλλα τοιαῦτα ἀσωτίαν τοῖς ἀνθρώποις ἐμποιοῦντα ἀνέχεσθαι. Sed eius admodum exigua est auctoritas, quia et sua et aliorum additamenta saepius exhibet. Contra Petrarcha reliquas res *delicias* dixit. Itaque censeo, illud *ad luxuriam pertinentium* non Caesaris, sed interpretis esse. Neque habet, quod opinantur, quo se tueatur: nam *iis rebus* omnino ad vinum reliquasque res mercatorias referre debemus id quod Herzogius non assequutus est. Similia emblemata expunximus ad B. G. I. 25.

quod iis rebus relanguescere animos *eorum*, et remitti virtutem existimarent] vv. ll. *eorumque remitti, virtutemque remitti eorum* pronomen *eorum* spurium esse haud obscure indicant. Additum ab eo videtur, qui Nervios suos animos et suam virtutem dicere indicare voluit. Sed eum falsum esse intelliges ex B. G. IV. 2. *vinum ad se omnino inportari non sinunt, quod ea re ad laborem ferendum remollescere homines atque effeminari arbitrantur.* VI. 21. *qui diutissime inpuberes permanserunt, maximam inter suos ferunt laudem: hoc ali staturam, ali* [*hoc*] *vires nervosque confirmari putant.* Recte vertit metaphrastes, νομίζοντας τὰ τοιαῦτα τοὺς ἀνθρώπους ἐκθηλύνειν καὶ αὐτοὺς ὑπὸ τούτων τι τῆς ἀρετῆς μεθιέναι. V. ad B. G. I. 12.

C. 17. Nervii antiquitus — teneris arboribus incisis, atque inflexis crebris*que* in latitudinem ramis, *(enatis)* et rubis sentibusque interiectis, effecerant, ut instar muri hae sepes munimenta praeberent] Bene correxit Davisius, *teneris arboribus incisis atque IMPLEXIS crebris in latitudinem ramis enatis.* Sed hanc lectionem minus recte sic explicat auctor emendationum Iulianarum: „summa tenerarum arborum caedebant, quo fiebat, ut crebriores in latitudinem rami enascerentur; hos deinde implectebant *(flochten sie in einander)* et rubos sentesque interiaciebant. Nam satis constat, addit idem, arborem, cuius decussum est cacumen, crebriores in latitudinem ramos emittere" Vellem aeque constaret, *arbores incidere* significare *arborum summa capita caedere* s. *cacumen decutere.* Nam *arbores incidere* non potest aliter dici quam *vites incidere.* Verte igitur *Bacume verschneiden, beschneiden.* Sed quum haec significatio non apta sit, *incidere* aliter interpretari debemus. Et intelligendum quidem est de *incisuris* significatque *einschneiden.* Incisae autem sunt arbores tenerae, ut ramos non amplius in altitudinem, sed in latitudinem emitterent: quibus implexis et rubis sentibusque interiectis sepes tam densae factae sunt, ut muri instar munimenta praeberent.

munimenta] Petav. Scalig. et Leid. pr. *munimentum.* Sed Bongars. pr. sec. Voss. pr. sec. Egmund. et Leid. tert. *munimentis*, quae lectio nos non magis offendit quam *infimis* pro *infima* c. 18. Nimis festinanter vocem omnino deleri voluit emendationum

auctor, nam non de specie, quam hae sepes habuerint, sed de munimento, quod praebuerint, hic agitur. Neque *instar praebere*, sed *speciem praebere* Caesar dixisset, si id, quod ille putabat, indicare voluisset. Recte metaphr. ἐποίησαν δίκην τείχους τὰς αἱμασιὰς ταύτας ὀχυρὰς εἶναι.

non omittendum sibi consilium Nervii *aestimaverunt*] Bongars. pr. *extimaverunt*. Alii *estimaverunt*, i. e. *aestimaverunt*, ut B. G. IV. 22. MSS. aliquot *aestimabat* pro *existimabat*. Confer B. G. I. 23. II. 2. III. 17. 23. IV. 6. 13. al. Similiter c. 20. *spectabant* pro *exspectabant* substitutum est.

C. 19. neque nostri longius, quam quem ad finem *porrecta ac loca aperta* pertinebant,—] Ex falsa verborum collocatione locum corruptum esse nemo non intelligit. V. ad B. G. III. 6. Quare alii *ac*, alii *ac* et *aperta* deleri, alii vero *porrecta ac aperta loca* legi voluerunt. Sed satis patere puto, *porrecta* meram explicationem *marginalem* esse, quae addita *ac* vocula inepte in textum illata est. Confer c. 18. extr. et quae diximus ad c. 8.

C. 20. ab opere revocandi milites: qui paullo longius, aggeris petendi caussa, processerant, *arcessendi*: acies —] Lege *ab opere revocandi milites, qui paullo longius aggeris petendi caussa processerant: acies* —. Nam non diversae sunt militum partes, nimirum si fuissent, Caesar aut *et qui*, aut *qui eorum* haud dubie scripsisset: sed omnes omnino intelligi debent, qui opere dimenso castra munire coeperant. V. c. 19. Iam quum iidem plane sint, qui in opere occupati erant et qui paullo longius aggeris petendi caussa processerant, nam qui in opere occupati erant, aggerem petebant et qui aggerem petebant, in opere occupati erant: coniungere debemus *ab opere revocandi milites, qui paullo longius aggeris petendi caussa processerant*. Supervacaneum igitur *arcessendi* verbum delendum est, quod librarii perperam receperunt. Manifesta enim ad *petendi* verbum παρεπιγραφὴ est. Bene metaphr. καὶ τοὺς προσωτέρω ἐπὶ τὸ χῶμα προεληλυθότας στρατιώτας ἀναπαλεῖν (ἔδει), nam *ab opere* omisit haud incommode. Ad defendendam autem lectionem vulgatam vix afferet quisquam *ab opere singulisque legionibus singulos legatos Caesar discedere, nisi munitis castris, vetuerat*, i. e. *a muniendo singulisque munientibus legionibus* etc. Confer B. G. III. 28. Nec magis infra c. 21. singularis mentio eorum facta est, qui aggerem petituri paullo longius processerant. Verba enim haec sunt: *quam quisque in partem AB OPERE casu devenit, quaeque prima signa conspexit, ad haec constitit.*

nihil iam Caesaris imperium *spectabant*] Sic MSS. Urs. Andin. et Leid. pr. De quibus vide ad c. 23. Vulg. *exspectabant*, quod legit etiam metaphrastes. Confer B. G. III. 24. al. Illud fortasse ab eodem illatum est, qui c. 17. *aestimaverunt* pro *existimaverunt*

substituit. Certe utriusque loci corruptor aliquid exquisitius promere voluit. Sed hoc simplicitati orationis Iulianae minus convenit. Scilicet *spectare aliquid*, ut βλέπειν, ὁρᾶν εἰς, πρός τι, bene dicuntur exspectantes.

C. 21. ad galeas *induendas*] v. l. *inducendas* repugnat dicendi generi Iuliano. Nam *inducere* Caesari est *obtegere*. V. c. 33. et B. C. II. 10. Sed ut *inducere* pro *induere* usurpaverit, tamen *GALEAS inducere* neque Caesar neque quisquam dixit alius. Videtur eiusdem esse, qui mox *detrudenda* pro *detrahenda* invexit.

C. 22. quum *diversis locis* legiones *aliae alia in parte* hostibus resisterent] „Qui omnino videt, inquit Davisius, satis videt, sanam esse vulgatam scripturam." Nihilominus quaerere non dubito, quid post *diversis locis* sibi velit *aliae alia in parte*. Nonne δὶς ταὐτὸν habemus? Quo probabilius certe est, quod metaphrastes exhibet, τῶν τε ταγμάτων ΠΟΛΛΟΙΣ τόποις ἄλλων ἄλλη τοῖς πολεμίοις ἀνθιστα μένων. Sed futilis lectio vulgata egregia Cdd. auctoritate non nititur, nam Lb. plurimi et vetustissimi non *diversis locis leg. al.* —, sed *diversis legionibus al.* — suppeditant. Verum neque hanc scripturam quisquam probare potest. Apta autem ea est ad corruptionem h. l. luculenter demonstrandam. Scilicet genuinum est, *quum legiones aliae alia in parte hostibus resisterent*. Ad haec adscripserat aliquis in margine *DIVERSIS* $\overline{L}$. Id alius significare putabat *diversis locis*, alius *diversis legionibus*. Hinc ortae sunt lectiones, *quum diversis locis leg.* — et *quum diversis legionibus* —. Similis παρεπιγραφὴ depravavit B. G. III. 3. *quum tantum repentini periculi praeter opinionem accidisset*.

C. 23. in fugam *dederunt*] v. l. *coniecerunt*. Utrum hoc, an illud probes, nihil fere refert. Sed quum illud MSS. Urs. Scalig. Cuiac. Andin. Oxon. et Leid. pr. exhibeant, *coniecerunt* praeferendum est. Scilicet Cdd. illi emendatoris manum saepissime produnt. Confer B. G. I. 23. 34. II. 3. 8. 20. III. 7. 8. 10. 15. 22. 28. IV. 1. 14. 16. 30. V. 8. 16. 22. al. Aliter praeter alios sensit Herzogius, cuius ratiocinatione nescio an nihil sit ineptius.

At tum totis fere a fronte, et ab sinistra parte nudatis castris] Omnes Oudend. Cdd. *attonitis*. Vulg. *ac totis*, *at totis*. Illud *tum* addidit Oudendorpius. quod ex versione graeca non defendam equidem. Sed vel haec explosa vocula non collaudem summopere, *at TOTIS fere a fronte et ab sinistra parte nudatis CASTRIS*. Nam verba minus apte procedere quivis sentiet, qui sensum habet. Emendo itaque, *at TOTA fere a fronte* etc. Nempe scriptum erat *AT TOT*, ex quo alii *at totis*, alii *attonitis* fecerunt.

C. 24. ab Decumana porta, *ac summo iugo collis*] Sic iam Hom. Il. ε. 398. πρὸς δῶμα Διὸς καὶ μακρὸν Ὄλυμπον.

clamor fremitusque *oriebatur*] Editt. aliquot *exaudiebatur*. Caesar, ut saepius, ex Caesare correctus est. Nempe aliquoties dixit *clamorem exaudire*. Inde B. G. III. 28. pro *deperdiderunt* v. l. *desideraverunt*, IV. 24. *nitebantur* pro *utebantur*. Item B. G. I. 34. *diceret* substitutum est (ex I. 42.), II. 4. *ripas Rheni* (ex I. 54.), II. 23. *dederunt* (ex V. 51.).

C. 25. ubi suos urgueri, signisque in unum locum conlatis duodecimae legionis confertos milites sibi ipsos ad pugnam esse inpedimento; quartae —] Post *inpedimento* in plurimis MSS. *vidit* legitur. Potest sane ex subsequentibus accitum videri; sed quum alterum *vidit* interpositum modo neque in fine totius orationis collocatum sit, hic verbum a Caesare omissum esse vix mihi persuadeo. Servavit etiam Fr. Petrarcha.

nonnullus ab novissimis *desertos* proelio excedere] Sic MSS. omnes, nisi quod *deserto* in Bongars. pr. legitur. Quae lectio ex vulgari librariorum errore orta est. Scilicet vox voci sequenti saepius adaptatur. Ad *desertos* autem supplent VV. DD. *a ducibus aut vulneratis, aut occisis*. At tale quid non poterat Caesar omittere, poterat vero παρεπιγραφῆς auctor. Idem etiam *desertos* pro *destitutos* uti poterat, Caesar vero non poterat. Itaque verbum spurium esse neminem perspexisse vehementer miror, praesertim quum neque verterit interpres graecus, neque habeat Fr. Petracha. Confer notata ad B. G. I. 25.

C. 29. iis inpedimentis, quae secum agere, ac portare non poterant, citra flumen Rhenum depositis, custodiae ex suis ac praesidio VI milia hominum *una* reliquerunt] *una* non modo supervacaneum, verum etiam prorsus ineptum vocabulum est. Nam plena oratio haec est: *iis inpedimentis, quae secum agere ac portare non poterant, citra flumen Rhenum depositis, HIS custodiae ex suis ac praesidio VI milia hominum reliquerunt*. Iam qui unquam dixit *depositae alicui rei aliquid custodiae ac praesidio una relinquere?* Videtur qui *una* adscripsit in margine, id ad *ac praesidio* notasse. Quidquid autem voluit, satis puto in aperto esse, futile additamentum expungi debere.

C. 30. primum inridere ex muro, atque increpitare vocibus, quo tanta machinatio ab tanto spatio *institueretur*] v. l. *instrueretur*. Quae confusio satis frequens est. Sed utraque lectio fortasse indicio est, neutram a Caesare profectam esse. Solet enim in illa formula verbum omitti. Cic. Fam. VII. 23. *Martis vero signum quo mihi pacis auctori?* Ovid. Her. II. 53. *quo iam tot pignora nobis?*

C. 31. legatos ad Caesarem de pace miserunt; qui ad hunc modum locuti: Non se existimare, Romanos sine ope divina bellum gerere; qui tantae altitudinis machinationes tanta celeritate promovere [*et ex propinquitate pugnare*] possent: se, suaque

omnia eorum potestati permittere, *dixerunt*] Vox ultima iam Oudendorpio suspecta erat. Ut eam a praecedenti *locuti* distinguamus et explicemus *sie erklärten:* tamen negari non potest, vocabulum spurium esse. Coniungere enim non possumus, *legatos ad Caesarem de pace miserunt, qui se suaque omnia eorum potestati permittere dixerunt.* Nam his coniunctis unde pendebunt sequentia? Iam quum illud *ad hunc modum locuti* ad totam orationem referendum sit, *dixerunt* verbum per se iam otiosum est. Sed non solum otiosum, verum etiam praeposterum est, nam orationem pessime dirumpit. Itaque si omnino huic verbo locus concedendus esset, non *dixerunt*, sed *dicere* proponerem. Confer B. G. IV. 7. Inepte vertit metaphrastes, *πρέσβεις πρὸς τὸν Καίσαρα ἔπεμψαν, οἳ ἔλεγον τοιάδε· ἀλλ' οὐ δοκοῦμεν, ἔφασαν, ἄνευ γε θείας ἐπικουρίας τοὺς Ῥωμαίους πολεμεῖν.* Recte additamentum Fr. Petrarcha omisit. Ceterum verba *et ex propinquitate pugnare*, quae desunt in MSS. pluribus, recte desunt. Qui ea vindicare conabitur, is desinat artem criticam. Eiusdem, ni fallor, annotatio est, qui mox *dixerunt* appinxit.

C. 35. His rebus gestis omni Gallia pacata, tanta huius belli ad barbaros opinio perlata est, uti ab his nationibus, quae trans Rhenum incolerent, mitterentur legati ad Caesarem, *quae* se obsides *daturas*, imperata *facturas*, pollicerentur] Pronomen relativum in hac formula nunquam ad eos, qui mittunt, sed semper ad eos, qui mittuntur, referendum est. Quamobrem *ab his nationibus missi sunt legati, quae pollicerentur* non magis dici potest quam *civitas misit legatos, quae peteret.* Lege igitur *qui — pollicerentur.* Sed neque rectius verborum genus femininum invectum est. Legati enim omnes omnino, a quibus missi sunt, quasi repraesentantes suo agunt nomine. Spondent igitur ipsi, quare et *daturos* et *facturos* mox mecum restitues.

SCHEDAE CRITICAE
IN C. I. CAESARIS COMMENTARIORUM DE BELLO GALLICO
LIBRUM TERTIUM.

C. 1. alteram partem eius vici Gallis concessit, alteram, vacuam ab illis relictam, cohortibus *ad hiemandum* adtribuit] In Lb. *ad hiemandum* ante *concessit* legitur. Transposuerunt Hoto-

manno et Ciacconio suadentibus editores fere omnes. Sed voces ab interprete ad *cohortibus adtribuit* margini adlitas posteaque perperam in ordinem verborum illatas esse iam Davisius recte monuit. Favet translatio graeca, διηρημένης οὖν εἰς δύο μέρη ταύτης ἕτερον μὲν τοῖς Γάλλοις συνεχώρησεν, ἕτερον δὲ κενὸν ὑπ' αὐτῶν καταλελειμμένον τάξις σπείραις διέδωκε. Verbum συνεχώρησεν non vidit Herzogius. Ceterum confer ad B. G. I. 25

C. 2. Primum, quod legionem, neque eam plenissimam, detractis cohortibus duabus, et compluribus singillatim, qui, commeatus petendi caussa, missi erant, absentibus, propter paucitatem despiciebant] Post LEGIONEM vocem UNAM excidisse veri est simillimum. Ac flagitat eam sequens *neque eam plenissimam*, (*eine* Legion, und das nicht einmal eine ganz vollständige) legitque metaphrastes.

sibi persuasum habebant] Aut *mihi persuasum est*, aut *persuasum habeo*, ich habe die Ueberzeugung, dici debet; *mihi persuasum habeo* nemo dixit nec dicere potuit: nam non rectius est quam *mihi habeo*, pro *mihi est*, aut *habeo*. Itaque illud *sibi* nemo debebat defendere.

C. 3. opus hibernorum munitionesque] Nihil tentandum neque ἓν διὰ δυοῖν quaerendum est. Confer potius B. G. I. 39. *mentes animosque*. II. 19. *ratio ordoque*. Cuiusmodi παραλληλα et in Caesare et in quovis fere auctore usitatissima sunt.

quum *tantum repentini periculi* praeter opinionem accidisset] Dicendi genus non Iulianum est. Fac locum corruptum sic mecum corrigas: *quum tantum periculum praeter opinionem acciderit*. Scilicet ad *tantum periculum* explicationis caussa in margine notatum erat *REPENT. PERIC.* i. e. *repentinum periculum*. Quod non intelligentes librarii perperam procuderunt *tantum repentini periculi*, quaemadmodum Caesar nunquam loquutus est. Testari licet versionem graecam, ΤΟΣΟΥΤΟΥ παραδόξως συμβάντος κινδύνου. Plures autem eiusmodi librariorum errores recensuimus ad B. G. II. 8. et vitium simillimum deprehendimus B. G. II. 22.

C. 4. quarum rerum a nostris *propter paucitatem* fieri nihil poterat] Metaphr. τοῦτο δ' οὐκ ἠδύναντο ποιεῖν οἱ Ῥωμαῖοι. Omisit *propter paucitatem*. Sed idcirco ea verba non expellenda sunt. Confer c. 2. *legionem unam — propter paucitatem despiciebant*. Metaphr. ἑνὸς τάγματος — κατεφρόνουν.

C. 5. res— esset iam ad extremum perducta *casum*] v. l. *ad extremum deducta casum* mihi indicare videtur, illam formulam non Caesaris, sed auctoris esse B. Alex. 7. *ut ad extremum casum omnes deducti viderentur*. (Sic enim legendum est. Nam vulg. lectionem *extr. cas. periculi* errori librariorum debemus. Nimi-

rum fefellit eos παρεπιγραφὴ *PERICL.* (i. e. *periculum*) qua vocem *casum* aliquis explicuit. B. C. I. 19.) Scripsit Caesar, ni fallor, *res — esset iam ad extremum perducta.* Nempe *casum* ex adscripta illa formula adhuc residuum esse existimo. Confer Curt. IV. 14. 22. *ad extrema perventum est.*

C. 6. in provinciam ire contendit; ac, nullo hoste prohibente, *aut iter demorante*, incolumem legionem in Nantuatis, inde in Allobrogas, perduxit] Cui bono sint illa *aut iter demorante*, me non intelligere fateor ingenue. Neque magis mihi auctor innotuit, qui dixerit, *nullo hoste (eum itinere) prohibente, aut iter demorante.* Nonne δὶς ταὐτὸν ἡμῖν εἶπεν ὁ σοφὸς Αἰσχύλος? nonne unum idemque vocula *aut* disiunctum est? nonne verba inepte collocata sunt? Fac igitur mecum expungas *aut iter demorante.* Nimirum qui haec (ex B. G. VII. 40.) adlevit margini, is *nullo hoste iter demorante* proposuit. Sed egregia librariorum inscitia factum est, ut vel *aut* illud in textum inferretur. Cuiusmodi vitia attigimus ad B. G. I. 13. Ceterum correctionem illam dudum suasit metaphrastes. Vertit scilicet, οὐδενὸς δὲ πολεμίου τῆς ὁδοῦ αὐτὸν ἀποκωλύοντος, τὸ τάγμα κτλ. Quae supplenda sunt (τῆς ὁδοῦ αὐτὸν), more suo intulit. Neque aliud legit Fr. Petrarcha, qui haec habet: *inde statim NULLO OBSTANTE in Allobroges, Romanam provinciam, est reversus.*

C. 7. praefectos, tribunosque militum complures in finitimas civitates, frumenti *commeatusque petendi* caussa, dimisit] Vulg. *frumenti caussa.* Illud exhibent Scalig. Cuiac. Andin. Oxon. et Leid. pr. Videtur *commeatus petendi caussa* nonnisi παρεπιγραφὴ fuisse ad *frumenti caussa*, et depromta quidem ex c. 2. *qui commeatus petendi caussa missi erant.* Perperam autem adiecta *que* vocula in textum invecta est, quare restituam lectionem vulgatam. V. ad c. 9.

C. 8. Ab iis *fit* initium] pro *fit* v. l. *fuit.* Quod verbum correctoris esse ex subsequentibus intelligimus. Neque legit, opinor, metaphrastes. Certe alterum κατέσχον, pro quo Caesar *retinent* habet, non probat contrarium.

retinendi Silii atque Velanii, quod —] MSS. Urs Cuiac. Leid. et marg. Petav. *retinendi Silii atque Velanii et si quos intercipere potuerunt, quod —.* Additamentum neque internam neque externam auctoritatem habet. Confer ad B. G. I. 25. In iisdem fere Lb. mox pro *recipere* RECUPERARE exaratum est. Quod male ex antecedentibus receptum esse satis, puto, manifestum est. V. ad B. G. II. 23.

C. 9. Veneti, reliquaeque item civitates, cognito Caesaris adventu] Quod addunt MSS. plurimi et vetustissimi, *certiores facti*, auctori παρεπιγραφῆς neque Caesari vindicare debemus. Proposuit ille *certiores facti de Caes. adv.* dictionemque ex initio h. c.

depromsit. Bonum autem factum, quod librarii παρεπιγραφὴν non addita *que* vocula invexerunt. Nam si MSS. *certioresque facti* offerrent, non deessent, qui defenderent. Confer ad B. G. II. 4. Similiter c. 10. pro *libertati studere* v. l. orta est *libertatis studio incitari*.

ac iam, ut omnia contra opinionem acciderent, tamen se plurimum navibus posse] Sic praeter alios distinxit Oudendorpius. Alii post *ac* incidunt. Rectius interpunctionem illam plane delebimus. Non male vertit metaphrastes, πρὸς τούτοις δὲ, κἂν πάντα σφίσιν ἐναντιῶνται, ὅμως σφᾶς μὲν πλεῖστον τῇ ναυτικῇ δύνασθαι.

ac longe aliam esse navigationem in concluso mari, atque in vastissimo *atque apertissimo* Oceano] Cum varie quoque legatur *apertissimo*, nam Carrar. habet *amplissimo*, Leid. pr. *aperto*, Scalig. *in paratissimo*; immo in optimo Bong. [pr.] alioque [Hotom. MS.] non adpareat, nec obposita captasse Caesarem pateat, possunt facile duo ultima esse supposititia. OUDEND. Sunt vero. Idem enim *atque* testatur. Nimirum pro *atque* Caesar certe *et* scripsisset, si omnino illud *apertissimo* subiungere voluisset. Contra B. G. II. 20. haud dubie dixisset, *quarum rerum magnam partem temporis brevitas et successus ATQUE incursus hostium impediebat*, si *successus* et *incursus* coniungere voluisset, ut *incursus* et *impetus* B. Civ. I. 81. Nunc vero alterum *et*, legimus scilicet *et successus et incursus*, corruptionem haud obscure indicat. Nempe *et successus* et *et incursus* nonnisi confusae sunt variae lectiones, ut *atque in vastissimo* et *atque apertissimo*. Omittunt autem Lb. optimi *et incursus*. Sed veror, ne spurium genuinum expulerit. Quare *et successus* expungam equidem. Ac speciosum modo est, quod adhibent sequentia, *propter propinquitatem et celeritatem hostium*. Quasi idem aut certe simile quid iam h. l. dici necesse esset. Bene metaphr. ὧν πάντων ἥτε τοῦ χρόνου βραχύτης καὶ ἡ τῶν πολεμίων ἐπιδρομὴ τὸ πλεῖστον ἐκώλυεν. Idemque *atque apertissimo* non exhibet.

C. 10. omnes autem homines natura libertati studere] MSS. Urs. Scalig. Cuiac. Petav. Andin. Oxon. et Leid. pr. *libertatis studiose incitari* vel *studio inc.* Correctio ex princ. h. c. petita est. V. ad B. G. II. 23. Recte metaphr. πάντας δ' ἀνθρώπους φύσει μὲν σπουδάζειν τῇ ἐλευθερίᾳ.

C. 12. quum ex alto se aestus incitavisset, quod *bis* accidit semper, horarum XII spatio] Metaphr. διὰ τὴν ἐν δώδεκα ὥραις δὶς γενομένην τῆς θαλάσσης πλημμυρίδα. At ita emendandum esset, *horarum XXIV spatio*. Explicuit autem Herzogius: *bis accidit quotidie et semper quidem horarum XII spatio*. Verum locum sic interpretatus interpunctionem post *accidit* non debebat negligere. Sed neglexit etiam comprobare, *quo-*

tidie omitti posse; neque docuit, tam futile additamentum, *et semper quidem horarum XII spatio*, a Caesare prolatum esse. Nihil autem corrigendum est. Recte Oxon. *quod accidit semper horarum XII spatio.* Nempe *bis* ex nota decerptum marginali perperam illatum est. Eandem originem habent *una* (B. G. II. 29.), *duodecimo die* (B. G. II. 2.), al.

magno numero navium adpulso, *cuius rei summam facultatem habebant*] Ultima facile possunt in suspicionem vocari. Sed solet Caesar etiam notissimae rei mentionem facere. Nimirum *cuius rei* ad *naves* referendum est. Nam quod Herzogio in mentem venit, id nemo probabit sobrius. Confer c. 9. *Romanos neque ullam facultatum habere navium.* Recte igitur metaphrastes vertit, *πολὺ νεῶν πλῆθος, ἅτε δὴ αὐτῶν εὐπορούντες, προσῆγον.*

C. 13. neque enim his nostrae rostro nocere poterant; (tanta in eis erat firmitudo) neque propter altitudinem facile telum adiiciebatur; et eadem de caussa *minus commode scopulis* continebantur] Cod. Pal. *copulis.* Pro *minus commode* editt. rec. *minus incommode.* Quam perversa proferri possint, ut vel ineptissima Lb. scriptura retineatur, hic docet Herzogius. Legit scilicet, *et eadem de caussa minus incommode scopulis continebantur*, eamque unice veram lectionem arbitratur. Argumenta vero, quae subdit, haec sunt: 1) *eadem de caussa* bezieht sich auf *firmitudo;* 2) *minus incommode* ist gleich: *sine magno detrimento vel etiam nullo;* 3) *scopulis continebantur* ist: sie konnten sich in der Regel innerhalb der Buchten und Baien, von Klippen gebildet, halten, brauchten nicht das Zerschellen an denselben zu fürchten.“ At qui fieri potest, ut *eadem de caussa* ad *firmitudo* referamus? Verba enim sic expedienda sunt: neque enim his *propter firmitudinem* nostrae rostro nocere poterant, neque *propter altitudinem* facile telum adiiciebatur, *et eadem de caussa* etc. Iam ut fingamus, Caesaris esse *minus incommode* pro *sine magno detrimento vel etiam nullo* (id quod *facile* dixit c. 23.), quomodo *altae* naves sine magno vel etiam nullo detrimento intra scopulos contineri possunt? Ac vel his posthabitis quid sibi illud vult, quod Caesar his ipsis verbis subiecit? Falsissima igitur illa lectio est. Probant vero alii, *et eadem de caussa minus commode copulis continebantur.* Sed *copulis* pro *manibus ferreis* non usitatum, neque *continebantur* aptum verbum est. Videtur autem vulgata lectio, *et eadem de caussa minus incommode* (magis *commode*) *scopulis continebantur*, nonnisi nota marginalis esse et adscripta quidem ad *tanta in eis erat firmitudo*, et petita ex sequentibus. Idem etiam ineptus verborum locus indicat, quamobrem emblema illud delendum est. Confer ad B. G. III. 1. IV. 10.

Accedebat, ut, quum saevire ventus coepisset, et se vento *dedissent*] *quis se vento dat*, inquit Oudendorpius, *quando saevire*

ventus incipit? Respondeo, omnes omnino navigantes. Scilicet *se vento dare* hic i. est q. *se vento dedere.*

C. 15. *Disiectis,* ut diximus, antemnis] Supr. *antemnae necessario concidebant.* Quare *deiectis* praeferendum est. Eadem lectt. varietas est B. G. IV. 12. Similiter *disperdiderunt* pro *deperdiderunt* in MSS. aliquot c. 28.

Quae quidem res ad negotium conficiendum *maxime fuit opportuna*] MSS. Urs. Scalig. Cuiac. Andin. Oxon. et Leid. pr. *maximae fuit opportunitati.* V. ad B. G. II. 23. VII. 23.

C. 17. ex quibus exercitum, *magnasque copias* coegerat] Interpretatur Herzogius: *ingens frumenti ac commeatus copia.* Tu explices: *et magnas quidem copias.* Sic B. G. VII. 69. *excubitoribus ac firmis praesidiis.* Neque ullam frumentationem Fr. Petrarcha commemorat.

in contemtionem — veniret] Leid. pr. et editt. rec. *in contemptum,* ex corr. Confer B. G. V. 49.

nisi aequo loco, aut opportunitate aliqua data] Verba haec non legisse videtur Petrarcha, quippe habet: *ipse vero non id metu alio faciebat, nisi quod absente Caesare tanta cum multitudine congredi, quisquis exitus sequeretur, ne temeritati tribui posset potius quam virtuti, anxius suspensusque erat animo.* Nec metaphrastes vulgatam lectionem prorsus confirmat, quippe sic interpretatus: *εἰ μή τινος φαινομένης πλεονεξίας.* Possis itaque corrigere, *nisi opportunitate aliqua data.* Sed aut tota periodus delenda, aut, quod equidem praeferam, sic emendanda est: *nisi aequo loco atque opportunitate aliqua data.*

C. 18. *Hac* confirmata opinione timoris] *at conf.* Gottorp. Voss. et ed. inc. Non male. Petrarch. p. 68. *ubi se sperni autem intellexit.*

C. 19. nam, ut ad bella suscipienda Gallorum alacer ac promtus est animus, sic mollis ac minime resistens ad calamitates perferendas *mens eorum* est] Claudicat dictio. Quare iam Grut. et Lips. *mens eorum est* expunxerunt. Etenim quum *mens* nihil aliud quam *animus* significet, repetitio eiusdem notionis supervacanea est. Omittunt autem *est* Carr. et Duk., quocirca genuinum esse arbitror, *sic mollis ac minime resistens ad calamitates perferendas est.* Nempe *mens eorum* interpretis male seduli annotatio est et pro *est* videtur substituta esse. Vertit metaphrastes, *ὡς μὲν γὰρ πρὸς τὸ πολέμους αἴρεσθαι προπετεῖς τε καὶ πρόθυμοί εἰσιν οἱ Γάλλοι, ὡσαύτως μαλακοί τε καὶ ἐν τοῖς δυστυχήμασι οὐ καρτερικοὶ γίνονται.* Ceterum *Gallorum alacer ac promtus est animus* i. q. *Galli alacrem ac promtum animum habent,* i. e. omnino *Galli alacres ac promti sunt.* Non commemorassem, nisi interpres cum Grammatico digladiatus esset. Confer B. G. II. 15. et IV. 2.

C. 20. quae pars — ex tertia parte Galliae est aestimanda] Quaesitum est dicendi genus. Verte, *welcher Theil wie ein Drittheil von Gallien anzuschlagen ist.* Silicet *ex tertia parte* praedicatum verbi pro praedicato rei est. Sic Cic. Verr. IV. 16. 35. *iussit Timarchidem aestimare argentum. Quo modo? quo qui unquam tenuissime in donatione histrionum aestimavit.* B. G. VII. 39. *levi momento aestimare.*

multis praeterea viris fortibus Tolosa, Carcasone, et Narbone, quae sunt civitates Galliae provinciae finitimae, *ex* his regionibus nominatim evocatis] Excidit, ut saepius, praepositio *ex* in MS. Regio, veluti B. G. I. 47. in Egmund. *suis legatis* pro *ex s. l.* IV. 12. in Leid. pr. *periculo eripuit* pro *ex p. e.* V. ad B. G. I. 34. VI. 34. Temere igitur editores fere omnes rescripserunt, *quae sunt civitates Galliae provinciae, finitimae his regionibus.* Sed si sanissimam lectionem vulgatam intellexissent, tale quid non admisissent. Nescio autem an Iulianis verbis nihil sit apertius. Nimirum *quae sunt civitates Galliae provinciae finitimae ex his regionibus* nihil est aliud quam, *quae ex his regionibus Galliae provinciae civitates finitimae sunt.* Sed verba expeditissima iam metaphrastes pervertit.

C. 21. Pugnatum est diu atque acriter — *tamen* confecti vulneribus hostes terga vertere] pro *tamen* editt. Bas. Strad. Ven. et Manut. *tandem*, uti legit etiam interpres graecus, cuius versio haec est: τέλος τε (l. δὲ) τοὺς πολεμίους ἤδη ὑπὸ τῶν τραυμάτων ἀπειρηκότας εἰς φυγὴν ἔτρεψαν. Utrumque recepit Scaliger. „Sed male, inquit Oudendorpius. *Tamen* idem valet, quod *denique, tandem.*“ Vix puto. Notio *denique* ex ipso loco eruenda est. Atque hic quidem facile accipies, ubi *confecti* in *postquam confecti erant* resolveris. Confer Terent. Heaut. III. 2. 1. *hac illac circumcursa inveniendum est tamen argentum.* Ovid. Metam. II. 337. *exanimesque artus primo, mox ossa requirens, reperit ossa tamen,* sc. *postquam requisivit.*

C. 22. Atque *in ea re* omnium nostrorum intentis animis] Metaphr. πάντων δὲ τῶν ἔκεῖ Ῥωμαίων τῷ πράγματι τούτῳ τὸν νοῦν προσεχόντων. Minus accurate. Nam si Caesar hoc dicere voluisset, *in eam rem*, non *in ea re* scripsisset. Aliud enim est *in re intentus*, aliud *in rem intentus.* Item *deditus in re* diversum est a *deditus rei.* Confer Lucret. III. 647. IV. 813. Liv. I. 9. VI. 23.

mori recusaret] Andin. Oxon. Leid. pr. *mortem*, ex emend. V. ad B. G. II. 23.

C. 23. quorum adventu *magna cum auctoritate*, et magna cum hominum multitudine bellum gerere conantur] Quae proferunt interpretes ad explicanda verba *magna cum auctoritate*, equidem comprobare non possum, quum ipse Caesar ea explicuerit rectissime: *magna cum hominum multitudine.*

C. 24. Illi, etsi propter multitudinem, et veterem belli gloriam, paucitatemque nostrorum, se tuto dimicaturos existimabant, tamen *tutius* esse arbitrabantur, obsessis viis, commeatu intercluso, sine ullo vulnere victoria potiri] i. e. omnino, *tuta quidem commisso proelio victoria, sed sine proelio tutior victoria.* Male vertit metaphrastes, quo inductus Th. Bentleius *satius* pro *tutius* proposuit. Ceterum distinctione post *viis* deleta lege *obsessis viis commeatu intercluso.* Sic B. G. II. 26. *proelio nunciato cursu incitato.* II. 35. *his rebus gestis omni Gallia pacata.* IV. 12. ex auctor Leid. pr. *subfossisque equis compluribus nostris deiectis.* IV. 15. *reliqua fuga desperata magno numero interfecto.*

impeditos *in* agmine —] Praepositio vulg. deest, ut B. G. VII. 42. Similiter B. G. II. 19. II. 24. vulg *hostis adpropinquabat — decumana porta* pro *ad hostis adpr. — ab decumana p.* Adde notata ad B. G. I. 34.

Hac re perspecta, Crassus, quum *sua cunctatione, atque opinione, timidiores* hostes nostros milites alacriores ad pugnandum effecissent] MSS. Urs. et Duk. *quum sua cunctatio atque opinio.* Correxerunt R. Steph. et D. Voss. *quum sua cunctatione atque opinione timoris.* Apta quidem emendatio est, sed ea genuinum restitui non puto. Neque liquet, quomodo illud *opinione timoris* corrumpi potuerit, quum dictio notissima sit. V. B. G. III. 17. 18. et al. ap. Held. ad B. C. I. 47. Interpretantur autem alii lectionem vulgatam ad *opinione* partim *timoris de se confirmata,* partim *ex cunctatione exorta* cogitatione supplentes. At tale quid vix Laconum fuisse existimo. Sed ut vel Caesar admiserit, servata *timidiores* voce, *opinione (sc. timoris)* prorsus puto, ineptum est. Nempe aut *quum sua cunctatione atque opinione (sc. timoris) hostes n. m. a. ad p. c.* dici debebat, aut *quum sua cunctatione timidiores hostes n. m. a. ad p. c.* Patet itaque cuniungenda esse *opinione timidiores.* Valent autem haec i. q. *timidiores quam opinabantur nostri milites,* verbaque omnino sic exaequanda sunt: *quum hostes cunctati atque opinione timidiores nostros milites ad pugnandum alacriores effecissent,* s. *quum hostes eo, quod cunctabantur atque opinione timidiores erant, nostros milites* etc.

C. 26. eductis *quatuor* cohortibus] Sic. Cuiac. Scalig. Leid. pr. Andin. et Oxon. Sed MSS. plurimi *his* vel *is* s. *iis* offerunt. Neque Petrarcha vocem numeralem habet neque Dio Cass. XXXIX. 46. Errorem prodit metaphrastes, qui τρεῖς exhibet. Scilicet exaratum erat IIĪ, et lineola fortasse neglecta III. Hinc alii *quatuor*, alii *tres* effinxerunt. Sed est illud IIIS, quod mecum fac restituas.

celeriter ad eas, quas diximus, munitiones pervenerunt, atque, his *prorutis* —] *prorutis* Faern. Lb. et editt. Vasc. Steph. Strad. Scalig. al. *proruptis* Cdd. primaeque editt. omnes. Recte iam

Ald. et al. *perruptis*. In Lb. enim praepositionum *per*, *pro*, *prae* confusio frequentissima est. Sic B. G. VII. 82. MSS. nonn. *munitione praerupta* pro *mun. perrupta*. Item B. G. II. 11. pro *perspexerat* quatuor MSS. *prospexerat*. Contra pro *provolaverunt* v. l. *pervolaverunt* B. G. II. 19. Confer ad B. G. V. 58.

C. 28. longe alia ratione, ac reliqui Galli, bellum *agere instituerunt*] Sic MSS. Urs. Scalig. Cuiac. Leid. pr. Andin. et Oxon. Contra Bongarss. Voss. Lovan. Petav. al *gerere coeperunt*. Illud elegantius dicit Oudendorpius, quam ut a librariis proficisci potuerit. Potuit vero a correctore proficisci, cuius elegantias iam saepius cognovimus. V. ad B. G. II. 23. Antequam autem interpretes discrimen statuerent inter *bellum agere* et *bellum gerere*, illudque adeo h. l. necessarium esse contenderent, Caesarem omnino *bellum agere* dixisse comprobare debebant. Sed ut omnino dixerit atque ut verum illud discrimen sit, ex quo *bellum agere* i. q. *Krieg betreiben* et *bellum gerere* i. q. *Krieg führen:* hoc certe loco aut non dixit Caesar, nam addita ipsa descriptione nonnisi *bellandi* notio requiritur, quare apte transtulit Petrarcha, *erat autem longe alia, quam crederetur, BELLI ratio;* aut dixit et discrimen nullum statuit. Iam vero etsi *bellum agere* a *bellum gerere* non magis quam ovum ab ovo differt, quum *bellum agere* aeque ac *bellum gerere* omnino *bellare* significet ut πόλεμον ἄγειν i. q. πολεμεῖν: eo tamen *bellum agere* a *bellum gerere* distingui debet, quod bonorum quidem, sed non optimorum auctorum est. Itaque illud *agere instituerunt* non Caesaris, sed, ut diximus, emendatoris est. Idem autem, qui modo *instituerunt* pro *coeperunt* substituit, pro *instituit* mox *coepit* invexit. Immo statim sequentia immutavit.

paucos ex suis *deperdiderunt*] vv. ll. *disperdiderunt*, *desideraverunt*, uti legimus B. G. V. 23. VII. 51. Illa ex crebra syllabarum *dis* et *de* confusione, haec ex correctione orta est. V. ad c. 15. et ad B. G. IV. 24.

C. 29. Caesar exercitum reduxit, et in Aulercis, Lexoviisque, *reliquis item civitatibus, quae proxime bellum fecerant*, in hibernis conlocavit] Pro vindicandis verbis *reliq. it. civ. q. pr. b. fec.* non admodum propugnabo equidem. Huiusmodi enim additamenta in Caesare permulta deprehendimus. V. ad B. G. I. 25. Neque legit illa verba Fr. Petrarcha, quippe haec modo exhibet: *cum exercitu in Aulercos Lexoviosque in hiberna concessit.*

SCHEDAE CRITICAE
IN C. I. CAESARIS
COMMENTARIORUM DE BELLO GALLICO
LIBRUM QUARTUM.

C. I. ex quibus *(pagis)* quotannis singula milia armatorum bellandi caussa, *ex finibus* educunt] *ex finibus* neminem offendisse vehementer miror. Nam quis dixit *ex quibus — ex finibus?* Nonne Caesar ut quilibet alius *ex quorum finibus* scripsisset, si omnino illam finium notionem adiicere voluisset? Dele igitur illatam παρεπιγραφήν, id quod suadet etiam interpretatio graeca, ἐξ ὧν ἑκάστης χιλίους ἄνδρας κατ' ἔτος ἐπὶ τὸν πόλεμον ἐξάγουσι.

reliqui, qui domi *manserint*, se atque illos alunt] v. l. *manserunt*. „Der Coni. ist unstreitig richtiger, und deutet den Sinn an: „die Uebrigen, so viel ihrer jedesmal zu Hause geblieben *seyn mögen;*" denn die Zahl der jährlich zum Kriege Ausziehenden war zwar eine bestimmte, die der daheim Bleibenden konnte es aber nach der Natur der Sache nicht seyn." Speciosa sunt Herzogii verba, quibus equidem Coniunctivum non defendam. Nempe eorum, qui domi manebant, aeque certus numerus est atque illorum, qui in bellum proficiscebantur. Nimirum exceptis singulis milibus Suevi omnes remanebant. Quare illud, *soviel ihrer jedesmal zu Hause geblieben seyn mögen,* prosus ineptum est. Recte metaphr. οἱ ἐν τῇ πατρίδι καταμείναντες. Itaque Indicativus praeferendus est.

Hi rursus *in vicem* anno post in armis sunt] *in vicem* deest in Voss. pr. Idcirco tamen expungi non potest. Confer B. G. IV. 4. *rursus* reverterunt. IV. 12. *rursus* resistentibus nostris. VII. 9. *rursus* reducit. Sed Cic. Caecil. XVII. 57. aut *repente*, aut *e vestigio* notae marginali debemus. Aliter Fam. IV. 4. 2. *repente praeter spem.* Virg. Aen. I. 598. *repente improvisus.* Neque adhibebit quisquam Plaut. Mil. II. 2. 21. *ita abripuit repente sese subito.* Confer Oudendorp. ad B. G. V. 40.

neque longius anno remanere uno in loco, *incolendi* caussa, licet] Andin. et Oxon. *colendi c.* Substituit, qui orationem calamistris exornare voluit. Nam quod Heldius ait, *colendi* verbo *agriculturam* significari, id correctori neque suboluit, nec facile subolere potuit. Ceterum *incolendi caussa* supervacaneum videri idem recte animadvertit. Sed id non magis supervacaneum esse

quam *bellandi caussa*, quod supra legimus, non debebat non animadvertere.

inmani *corporum* magnitudine] Leid. tert. et ed. inc. *corporis m.* (Körpergrösse), quod si maiorem auctoritatem haberet, non spernerem. Nunc nihil mutantes adhibemus B. G. II. 30.

ut locis frigidissimis neque vestitus, praeter pellis, habeant quidquam — et lavantur in fluminibus] MSS. tantum non omnes distinctione maxima ante *et* posita *Et lavantur in fluminibus.* Quam lectionem etiam metaphrastes sequutus est. Recte illud restitutum esse *neque* vocula affatim docet. Confer B. G. II. 25. *hostis neque a fronte ex inferiore loco subeuntes intermittere et ab utroque latere instare.* IV. 29. VII. 20. Adde notata ad B. G. II. 11.

C. 2. Mercatoribus est *ad eos* aditus magis eo] *ad eos* non exstat in Bongars. Petav. Voss. pr. sec. Egmund. Scalig. Leid. pr. Andin. et Oxon. Neque est ex stylo Iuliano. Nam in tali descriptione, qualem h. l. habemus, Caesar raro admodum pronominibus demonstrativis utitur, quia personas ab initio propositas non solet itĕrum atque iterum indicare. Qua de caussa hic *ad eos* non magis probari potest quam supra, si legeremus, *atque ii in eam se cons. add.* Ac videtur illud *ad eos* nonnisi ex B. G. II. 15. huc tralatum esse. Ceterum *eo magis*, quod Scalig. et Leid. pr. exhibent, non indicat *ad eos m.* sed ex eodem librariorum errore est, ex quo c. 1. vv. 11. *homines efficit* et *efficit homines*, III. 28. *Caesar pervenisset* et *pervenisset Caesar*, IV. 6. *latius iam* et *iam latius.*

Quin etiam iumentis, quibus maxime Gallia delectatur, quaeque inpenso parant pretio, Germani inportatis *his* non utuntur] Lege, *quaeque impenso parant pretio Germani, importatis non utuntur.* Servant *his* MSS. omnes. Omittunt iam Bas. Strad. al. Correxit Clarkius deleta voce *Germani*, *importatis III non utuntur.* Quod cur recipi nequeat, ex iis, quae supra modo diximus, satis patet. Speciosum autem est, quod protulit Oudendorpius, *inportatitiis non utuntur.* Sed non amplecti debebant interpretes, quum ex *inportatis his* non magis *inportatitiis* coniici possit quam *confectitiae* ex *confectae hae*, quod eodem plane errore, quo *inportatis his*, B. G. III. 13. a librariis invectum est. Verum ad defendendam Lb. lectionem interpres excitat sequentia, *quae sunt apud eos nata, prava atque deformia, HAEC quotidiana exercitatione, summi ut sint laboris, efficiunt,* docetque ea similiter dicta esse. Sed, quod bonum factum, tradit hoc tironibus.

quae sunt apud eos nata, *prava* atque deformia, haec —] *prava* habent MSS. plurimi et editt. antiquae; *parva* MSS. Brant. Scalig. Leid. pr. Oxon. Duk. al. Utrum facilius corrumpi potuerit, unicuique liquet. Recte igitur Heldius *prava* tuitus est. Fortasse autem utrumque ex nota marginali in textum irrepsit.

Certe aeque *prava* ac *parva* vocis *deformia* videtur interpretatio esse. Confirmat suspicionem frigida post *q. s. ap. e. n.* appositio *prava atque deformia*, cui propter *quin etiam* locum non concedimus. Scripsitne igitur Caesar, *quae sunt apud eos nata atque deformia?* Confer quae exposuimus ad B. G. II. 8. Ceterum aeque ii, qui *parva* ex Tacit. Germ. 5. patrocinari student, atque illi, qui *prava* ex Tacit. Germ. 6. defendere conantur, ne quis eodem plane iure Caesari utrumque vindicet, vehementer caveant.

C. 3. Ad alteram partem succedunt Ubii, quorum est civitas ampla atque florens, ut est captus Germanorum, et paullo, *quam sunt eiusdem generis, et ceteris* humaniores] Sic plerique MSS. Correxit Ciacconius, *et paullo, quam sunt eiusdem generis etiam* (quod habent aliq. Cdd.) *ceteri, humaniores.* Male. Primum enim *etiam* prorsus abundat; deinde pro *ceteri* exspectabas *reliqui;* denique verborum collocatio nemini probabitur. Non nego autem, quod attinet ad lectionem vulgatam, *et ceteris* stomacho meo non arridere. Possis vero suspicari, ante *et ceteris* vocem veluti *cultiores* excidisse. Sed etiam ceterorum Germanorum a *Caesare* mentionem factam esse minime verisimile est. Voluit eam *sciolus* facere, id quod *etiam ceteris* manifesto prodit. Scilicet aperta παρεπιγραφὴ est. Atque eandem originem *et ceteris* habet, quare mecum deleas. V. ad B. G. I. 25.

C. 4. In eadem *caussa* fuerunt —] Metaphr. ταὐτὸ τούτοις — ἔπαθον. Cave ne *in eodem casu* coniicias. Cic. Offic. I. 31. 112. *atque haec differentia naturarum tantam habet vim, ut nonnunquam mortem sibi ipse consciscere alius debeat, alius in eadem caussa non debeat.*

ex his aedificiis, quae trans flumen *habuerant,* demigraverunt] Ex antecedentibus in MSS. et editt. aliq. *habebant* irrepsit. Similiter *possent* pro *potuissent* invectum est B. G. II. 9. et *debeant* pro *debere* B. G. I. 17.

C. 5. Est autem hoc Gallicae consuetudinis, uti et viatores etiam invitos consistere cogant; et quod quisque eorum de quaque re audierit, *aut cognoverit,* quaerant] Probarem *ab aliis audierit, aut ipse cognoverit.* Nunc vero *cognoverit* nihil aliud quam *audierit* est. Quorsum igitur ista distinctio? Est autem *aut cognoverit* eius dictio, qui variam lectionem ex sequentibus (*quasque ibi res cognoverint*) depromtam in margine proposuit. Expungas igitur notam a librariis receptam, ut *aut insidiis niterentur* B. G. I. 13. *aut iter demorante* B. G. III. 6. et *aut adductos inopia ex Provincia excludere* B. G. VII. 55. Recte metaphr. ἐκεῖνοι μὲν γὰρ τοὺς μὲν ὁδίτας καὶ ἄκοντας κατέχειν, τί δ' ἕκαστος αὐτῶν περὶ ἑκάστου ΗΚΟΤΣΕ πράγματος, ἐρωτᾶν εἰώθασι.

quorum eos *e vestigio* poenitere necesse est] Quod est in Bon-

gars. pr. Egmund. Lovan. Leidd. Voss. al. *in vestigio*, i. e. *illico*, *auf der Stelle*, mihi videtur genuinum esse. Nempe usitatius illud *e vestigio* hoc expulit. Ceterum Duk et ed. Ven. *vestigio*, ut Oudend. Cdd. et editt. antiq. B. Civ. II. 26. *eodemque tempore vis magna pulveris cernebatur et vestigio temporis primum agmen erat in conspectu.* Sed hic praecedente *et* vocula praepositionem *ex* excidisse facile intelligimus.

C. 7. a quibus quum paucorum dierum iter abesset, legati *ab his* venerunt] MS. Reg. *ad eum*, ex corr. V. c. II. Utrumque metaphrastes transtulit. Sed quod facile supplendum, id minime inculcandum est. Ceterum non est, cur *ab iis* praeferamus. Immo *ab his* non debebat Heldius his tueri: allein Caesar gebraucht bisweilen *hic*, wo man nach dem gewöhnlichen Sprachgebrauche *is* erwarten sollte." Nam *qui — hic* non solum Caesarem, sed omnes Latinos dictitasse vix tironem fugit.

C. 8. Hoc *se Ubiis* imperaturum] Sic Ortel. et Leid. pr. MSS. plerique et editt. vett. *hoc Suebis* s. *Suevis imperaturum*. Vulg. *hoc se ab Ubiis impetraturum*. Coniecit Morus, *hoc se ab iis impetraturum*, cui emendationi versionem graecam favere opinantur. Sed est ea tam perversa, ut eius auctoritas nulla sit. Nec puto *impetraturum* ferri posse, quum iam dixerit Caesar, *sed LICERE, si velint, in Ubiorum finibus considere*. Lege itaque cum Oudendorpio, *hoc se Ubiis imperaturum*. Etenim *SE UBIIS* litteris *e*, *u* transpositis in *SUEBIS* s. *SUEVIS* depravatum esse incurrit quasi in oculos.

C. 10. Mosa profluit ex monte Vosego, qui est in finibus Lingonum, et parte quadam ex Rheno recepta, quae adpellatur Vahalis, insulamque efficit Batavorum, *in Oceanum influit;* neque longius ab Oceano milibus passuum LXXX. in Rhenum transit] MSS. Bongars. Vossiani, Leidenses omnes, item Egmund. Gottorp. Lovan. Duker. Dorvill. et Edd. Rom. Inc. Mediol. Ven. aliaeque exhibent. *Insulamque efficit B., in Oceanum influit; neque longius ab Oceano m. p. LXXX. in Rhenum influit.* At vero Petav. Andin. Oxon. Scalig. Bouhier. pr. Eliens. Reg. et alii aliorum, quod verbo monuit Clarkius, dant: *Insulam efficit Batavorum, neque longius ab Oceano m. p. in Rhenum influit;* nisi quod in Andin. sit, *insula, quam eff.* pro secundo *influit* in nonnullis, teste Manutio, est, *in Rhenum transit;* atque ita etiam Ill. Bouhierii Cod. alter. OUDEND. *in Oceanum influit* male inculcatum esse vel perversa verborum collocatio satis evincit. Manifesta autem παρεπιγραφή est. Nimirum verba descriptioni Rheni inservientia ex fine h. c. depromta et in margine notata erant. Inde a librariis praepostere recepta sunt. Explosis autem suppositiciis locum sic emendo: *Mosa profluit ex monte Vosego, qui est in finibus Lingonum, et parte quadam ex Rheno recepta, quae appellatur*

Vahalis, insulam efficit Batavorum, neque longius ab Oceano milibus passuum LXXX. in Rhenum transit.

C. 11. mittit, qui *nunciarent*, ne —] Gottorp. et ed. inc. *renunciarent.* Confer B. G. III. 5. *celeriter milites certiores facit, paullisper intermitterent proelium.*

C. 12. subfossisque equis, *compluribusque* nostris deiectis] Bene Leid. pr. *subfossisque equis compluribus nostris deiectis.* Infr. *ipse equo vulnerato deiectus.* Adde notata ad B. G. III. 24.

C. 13. Quos sibi Caesar oblatos *gavisus, illos* retineri iussit: ipse omnes copias castris eduxit] MSS. et editt. vett. *quos sibi Caesar oblatos gravius.* Vertit metaphr. τούτοις δὲ παρουσιν ὁ Καῖσαρ ἡσθεὶς, ἐκείνους μὲν κατέσχεν, αὐτὸς δὲ κτλ. Longe alia Fr. Petrarcha habet. Scilicet verba eius haec sunt: *quos ubi Caesar adspexit, nulla penitus de re auditos illico capi iussit.* Unde pro *illos* Daehnius *illico* proposuit. Certe *illos*, quod vulgo deest, mihi videtur recte deesse. Nam quod Heldius ait, *illos ist beizubehalten, und steht — im GEGENSATZE zu dem folgenden ipse*, id versione graeca misere deceptus male effutivit. Conferat B. G. I. 24. *Helvetii cum omnibus suis carris secuti impedimenta in unum locum contulerunt: IPSI, confertissima acie reiecto nostro equitatu, phalange facta sub primam nostram aciem successerunt.* I. 52. *Caesar singulis legionibus singulos Legatos et Quaestorem praefecit, uti eos testis suae quisque virtutis haberet: IPSE a dextro cornu — proelium commisit.* Immo *illos* non magis desideramus quam B. G. I. 26. *qui si iuvissent, se eodem loco, quo Helvetios, habiturum.* (Confer B. G. IV. 7. *quicumque bellum inferant, resistere.*) Tametsi *gavisus* non magis quam *illos* a Caesare profectum est, tamen non emendabo cum Daehnio, *quos sibi Caesar oblatos gravius illico retineri iussit.* Nam neque *gravius* puto Caesarem auctorem habere, neque *illico* comprobabo ex verbis illis Petrarchae. Addidit enim ipse ut B. G. I. 47. *ILLICO enim ut ad se venientes vidit, audiente exercitu quasi rabidus exclamavit*, ubi Caesar haec habet: *quos quum apud se in castris Ariovistus conspexisset, exercitu suo praesente conclamavit.* Neque facile sibi quisquam persuaserit, *gravius* Caesarem de se ipsum dixisse. Adscripsit, ni fallor, aliquis in margine. Caesarem autem hoc scripsisse suspicor: *quos sibi Caesar oblatos inauditos retineri iussit.* Confer Fr. Petrarch. et, quod ad Participia attinet, B. G. IV. 23. *atque ibi in omnibus collibus expositas hostium copias armatas conspexit.*

C. 14. qui (*Germani*) omnibus rebus subito perterriti, et celeritate adventus nostri, *et discessu suorum*, neque consilii habendi, neque arma capiendi spatio dato, perturbantur] Metaphr. καὶ τῇ τῶν σφῶν ἱππέων ἀπουσίᾳ. Alii principes maioresque natu a Caesare retentos intelligunt. Alii, ne omnino fallantur, et abs-

entes equites et principes maioresque natu dici arbitrantur. Nihilominus falsi sunt. Nimirum verba, ut nunc leguntur, neque ad equites neque ad legatos referri possunt. Nam neque equitum *absentiam* neque *retentionem* legatorum Caesar *discessum* dicere potuit. Iam vero necessaria est legatorum mentio. Ac fecit eam auctor, nempe sic dixit: *et celeritate adventus nostri ex discessu suorum.*

Quorum timor quum fremitu et concursu significaretur, milites nostri, pristini dici perfidia incitati, in castra inruperunt, *quorum* qui celeriter arma capere potuerunt, paullisper nostris restiterunt] Vulg. *quo in loco qui*, ut vertit etiam metaphrastes; *quorum qui* Scalig. Cuiac. Leid. pr. Andin. et Oxon. Ut possis verba ita explicare, ut a castris transitus factus sit ad milites, quemadmodum ab urbe fit ad cives; aut ut *castra* pro iis, qui in castris sunt, accipere liceat; aut ut *quorum* una cum superiore ad Germanos referre possis: semper tamen prorsus abundabit. Itaque et *quorum* et *quo in loco* a manu aliena esse existimo. Hoc interpretem, illud correctorem olet. Ac neutrum agnoscit Petrarcha, qui haec exhibet: *Romani milites — castra pervadunt. Pauci armati paratique restitere.*

C. 15. quum ad confluentem Mosae et Rheni pervenissent, reliqua fuga desperata, magno numero interfecto, reliqui se in flumen praecipitaverunt] Perperam interpretatus est metaphr. τῆς λοιπῆς φυγῆς ἀνελπίσαντες ἔβαλλον σφᾶς εἰς τὸν ποταμόν. Sed vel nostri interpretes coniungere videntur, *reliqua fuga desperata reliqui* etc. Coniungenda autem sunt, *reliqua fuga desperata magno numero interfecto.* Petrarch. p. 78. ita paene omnes partim pugna, partim fuga, partim aqua consumpsit.

C. 16. Ubii autem, qui uni ex Transrhenanis ad Caesarem *legatos* miserant] *legatos* omittunt Andin. et Oxon. *ut suspiceris*, inquit Oudendorpius, *insititiam esse vocem.* Praeter Dachnium nemo, opinor, suspicabitur. V. ad B. G. I. 34.

tantum esse nomen] addunt *apud eos* Scalig. Urs. Cuiac. et Leid. pr. Mox iidem fere Lb. pro *eius exercitus* partim *exercitus Romani*, partim *Romani exercitus* exhibent. Confer quae diximus ad B. G. II. 23.

C. 17. ac nihilo secius sublicae et ad inferiorem partem fluminis oblique agebantur, quae pro *pariete* subiectae, et cum omni opere coniunctae vim fluminis exciperent] Plerique MSS. *pro ariete*, quod etiam metaphr. legit. Recte. Nam vocem militarem etiam ad res alias tralatam esse satis docent verba Cic. Top. 17. 64. *iacere telum voluntatis est; ferire, quem nolueris, fortunae. Ex quo ARIES ILLE SUBIICITUR in vestris actionibus: si telum manu fugit magis quam iecit.* Videtur itaque *pro pariete* genuinae lectionis explicatio esse.

C. 19. in *silvas* deponerent] Bongars. Voss. omn. Egmund. al. *in silvis*. Ad illud conservandum adhibent c. 18. *in silvas abdere*. Eodem iure etiam B. G. III. 28. *eo se suaque omnia contulerunt* conferre poterant. Recte metaphr. *ἐν τοῖς νάπεσιν ἀποτίθεσθαι*.

C. 21. eos domum remittit, et cum his una Commium — *mittit*] Abest *mittit* a Celso, neque opus est. Sed vide ad I. 43. et alibi. OUDEND. Metaphr. *ἅμ' αὐτοῖς συνέπεμψεν*.

quem sibi fidelem arbitrabatur] *esse* post *fidelem* editores temere expunxerunt.

Volusenus, perspectis regionibus, quantum ei facultatis dari potuit] In plurimis et optimis MSS. post *regionibus* legitur *omnibus*, quae vox in Andin. Oxon. Scalig. et Leid. pr. aut consulto, aut fortuito omissa est. Quod ad sententiam attinet, ea carere possumus; sed quod ad auctoritatem Lb. attinet, debemus eam addere.

C. 22. ad eum legati venerunt; qui se de superioris temporis consilio excusarent, quod homines barbari, et nostrae consuetudinis inperiti, bellum populo Romano fecissent, *seque ea, quae imperasset*, facturos pollicerentur] Ex scriptura Bongars. pr. *sed quae imp.* possis coniicere, *et quae imperasset, f. p.*

Hoc *sibi* satis obportune Caesar accidisse arbitratus] *sibi*, quod in MSS. Urs. Scalig. et Leid. pr. exstat, non efflagito equidem. Supr. c. 13. *opportunissima res accidit*. Ceterum lege ex auctoritate MSS. *hoc Caesar satis opportune accidisse arbitratus*.

neque has tantularum rerum occupationes *sibi* Britanniae anteponendas iudicabat] Pron. Oud. e 3 codd. et Graeco recepit, inquit Daehnius. Si Graecum consuluisset, haud dubie se falli intellexisset.

C. 23. atque ibi in omnibus collibus expositas hostium *copias* armatas conspexit] pro *copias* nonn. Cdd. *turmas*. Quod non magis recipiendum quam *armatas* delendum est. B. G. II. 17. IV. 13.

C. 23. Cuius loci haec erat natura: *adeo* montibus angustis mare continebatur, ut ex locis superioribus in litus telum adiici posset] Rectius MSS. et edit. vett. *cuius loci haec erat natura atque ita montibus* etc. Nam quominus illud probemus, quod MSS. Urs. Scalig. Cuiac. Andin. Oxon. et Leid. pr. offerunt, brevior, quae sequitur, expositio prorsus prohibet. Confer B. G. II. 6. 18. IV. 33. B. C. I. 79. Bene metaphr. *καὶ οὕτως ὑπ' ὀρέων πάντοθεν ἐνταῦθα ἡ θάλασσα περιείχετο*. *Angustis* non omisit, ut opinatur interpres, sed vertit *πάντοθεν*. Nec male. Horat. Od. I. 4. 13. *pallida mors AEQUO pulsat pede pauperum tabernas regumque turris*. Certe longe probabilius est, *das Meer wurde dicht von Bergen eingeschlossen* quam *das M. w. von spitzen B. eingeschlossen*, quemadmodum nuper quidam interpretatus est. Quodsi Petrarcha reddidit, *praeruptas rupes pelago impendentes*, id eum

ex Iulianis verbis non tam transtulisse quam more suo elicuisse nemo non intelligit.

monuitque, (ut rei militaris ratio, maxime ut maritimae res postularent, ut quae celerem, atque instabilem motum haberent) ad nutum et ad tempus omnes res ab iis administrarentur] Lege, *monuitque, (ut rei militaris ratio, maxime ut maritimae res postularent,) ut quae celerem atque instabilem motum haberent* (i. e. *was mit einer schnellen und unstäten Bewegung verbunden sein würde*), *ad nutum et ad tempus omnes res ab iis administrarentur.*

C. 24. quum illi aut ex arido, aut *paullulum* in aquam progressi] MSS. plurimi et vetustiores *paullum*. Potest hoc ex contractione ortum esse, ut *paullum* pro *paullatim* c. 33. Sed cur hic *paullum* spernendum sit, neque Oudendorpius docuit neque sequaces editores. Metaphr. ἢ καὶ ὀλίγον εἰς τὸ ὕδωρ προϊόντες. Similiter infra c. 25. et B. G. V. 19. pro *paullum* v. l. est *paullulum*.

non *omnes* eadem alacritate, ac studio, quo in pedestribus uti proeliis consueverant, *utebantur*] *omnes* invexit Scaliger et habet Cod. Oxon. Idem Lb. pro *utebantur* ex corr. exhibet *nitebantur*, quod non debebat recipi, etsi Caesar alias dixit. Eodem modo B. G. III. 28. pro *deperdiderunt* Oxon. *desideraverunt* offert. V. ad B. G. II. 24.

C. 25. Tum nostri cohortati inter se, ne tantum dedecus admitteretur, universi ex navi desiluerunt: *hos item ex proximis primis navibus quum conspexissent, subsecuti, hostibus adpropinquarunt*] Vulg. *hos item alii ex* —. Cdd. et editt. vett. *hos item ex proximis primis* vel *hos item ex primis proximis* —. Vidit iam Oudendorpius et *alii* et *nostri* (quod pro illo in nonn. MSS. substitutum est,) non Caesaris, sed aliorum esse. Vellem idem animadvertisset, aeque *proximis primis* suppositicium esse. Ut recte dictum sit, *ex proximis primis navibus*, i. e. *ex iis navibus, quae in primo navium ordine erant proximae*, quemadmodum Oudendorpius explicat: quid sibi vult illud, quum omnes omnino milites ex omnibus longis navibus sequuti sint? Possis itaque corrigere, *hos item ex omnibus navibus, quum conspexissent, subsecuti hostibus adpropinquarunt.* Favet certe Fr. Petrarch. p. 86. virtutis exemplo et pudore nobili incitati omnes, non solum qui in illa, sed qui in *cunctis* erant navibus, in undas atque inde in hostes ruunt." Sed vel hac aut simili emendatione admissa *quum conspexissent* nos debet offendere. Puto igitur aeque hoc atque illud *ex proximis primis navibus* ex marginali enarratione in textum irrepsisse. Confer quae notavimus ad B. G. I. 25.

C. 37. statim ad Caesarem legatos de pace miserunt: obsides daturos, quaeque imperasset, *sese* facturos, polliciti sunt] Plerique MSS. omisso pronomine *facturos* vel *facturos esse*. Illud Cuiac.

Scalig. Oxon. et Leid. pr. exhibent. Male. Nam si Caesar pronomen addidisset, iam ante *daturos* posuisset. Nunc vero a manu aliena adsutum est. Praeterea amat Caesar in hac formula pronomen omittere, quod dudum notavit Oudendorpius. Saepius autem a correctoribus additum est, veluti B. G. I. 32. VII. 2. B. C. III. 12.

Hunc illi e navi egressum, quum ad eos *Imperatoris* mandata perferret, comprehenderant] Omnes fere MSS. et editt. vett. *quum ad eos oratoris modo Caesaris m. p.* Andin. et Oxon. ut vulg. *imperatoris m. p.* Illud confirmat metaphr. ἐκ τῆς νεὼς ἐκβαίνοντα καὶ τὰ τοῦ Καίσαρος ἐντάλματα ὡς πρέσβυν ἀπαγγέλλοντα συλλαβόντες εἰς φυλακὴν ἔβαλον. Sed ex eo, quod MSS. partim *oratoris modo Caesaris m. p.*, partim *imperatoris m. p.* offerunt; atque ex eo, quod orator ap. Caes. non *legatum* significat, neque legati neque Caesaris mentio necessaria est, non male coniicies, nonnisi hoc genuinum esse: *quum ad eos mandata perferret.* Ac licet hoc Petrarchae verbis stabilire, *cum his et Comius rediit, quem ad eos, ut diximus, praemissum et COMMISSA EDERE INCIPIENTEM vinculis adstrinxerant.* Ex his autem, ut hoc addam, non licet proponere, *quum ad eos imperatoris MODO mandata perferret*, i. e. *tantummodo m. p.* Nam verbum *incipere* Petrarcha optime ex Imperfecto petiit. Ac correctione illa probabilius certe fuisset, *quum ad eos* (i. e. *apud eos*) *imperatoris mandata proferret.* V. ad B. G. III. 26.

C. 29. id quod necesse erat accidere] *id* in Gottorp. et Voss. deest. Errore simili VV. DD. Eur. Phoen. 930. ἅπερ πέφυκε ταῦτα κἀνάγκη σε δρᾶν perverterunt.

C. 30. Quibus rebus cognitis, principes Britanniae, qui post proelium *factum ad ea, quae iusserat Caesar, facienda* convenerant] Sic MSS. Cuiac. Scalig. Andin. Oxon. et Leid. pr. Cett. *qui post proelium ad Caesarem convenerant*, quod unice verum est. Nimirum *factum* ex c. 27. adiectum et *ad ea, quae iusserat Caesar, facienda* ex inepta verbi *convenerant* enarratione marginali in ordinem verborum illatum est. Nam quum modo dictum sit, facto proelio principes undique ad Caesarem convenisse et *se civitatesque suas ei commendare coepisse*: quomodo, quaeso, iidem principes, qui etiamnunc apud Caesarem versantur, *ad ea, quae iusserit Caesar, facienda* convenisse dici possunt? Ac ne sunt quidem, quae Caesar eos facere iusserit et quorum caussa convenire debuerint. Scilicet legatis ille nil nisi obsides imperaverat. Horum autem pars iam data, pars etiamnunc danda erat, quum principes ad Caesarem convenerunt et se civitatesque suas primum commendare coeperunt; deinde vero, ubi Romanam classem tempestate afflictam esse cognoverunt et Romanos navium, frumenti ac militum inopia premi intellexerunt, rursus coniurationem fecerunt et paullatim ex castris discesserunt. Vides igitur notam illam

hominis insipientis esse. Et si Caesar c. 28. et 29. omisisset verbaque sic continuasset: *sed Romana classe tempestate afflicta principes Britannorum, qui post proelium factum ad ea, quae iusserat Caesar, facienda convenerant* — vel Davus, puto, offendisset. Nunc vero, si ab uno discesseris, nemo offendit. Confer Petrarch. p. 89. *Britanniae principes*, quos in fidem Romanorum non amor, sed pavor, attraxerat, omnia illis deesse quum cernerent, naves, equites, frumentum, nec stare illos diutius posse nec abire, eorum quoque paucitatem castrorum ex angustiis metientes, quod neque equitatus neque impedimenta sed solae ibi erant legiones, conceperunt spem (ut fit) ex alienis malis ac *reiectis adulationibus, quibus Caesarem coeperant promereri*, cogitantes, quod, si eum superare possent aut opprimerent, nemo amplius bellator in Britanniam traiiceret, habito de his rebus inter se colloquio *rebellarunt.*

C. 34. ad lacessendum et ad committendum proelium] Vulg. *ad lac. hostem et comm. pr.* Vocem spuriam iam explosit Oudendorpius. V. ad B. G. I. 15.

C. 35. etsi idem, quod superioribus diebus acciderat, fore videbat, *ut*, si essent hostes pulsi, celeritate periculum effugerent] v. l. *et si* errori librariorum debemus. B. G. I. 31. *nisi si quid in Caesare populoque Romano sit auxilii, omnibus Gallis idem esse faciundum, quod Helvetii fecerint, ut domo emigrent.*

deinde omnibus longe lateque adflictis, incensisque, se in castra receperunt] Vulg. *aedificiis incensis* et *aedificiis adflictis incensisque.* Metaphr. καὶ πολλὰ μετὰ ταῦτα οἰκοδομήματα κατακανσαντες ἐπὶ τὸ στρατόπεδον ἀνετράπησαν. Corrigas, *deinde finibus longe lateque afflictis incensisque se in castra receperunt*, nam *omnibus* ad *longe lateque* in margine adscriptum erat, quod receptum *finibus* expulit. Confer B. G. V. 19. *tantum in agris vastandis incendiisque faciendis hostibus noceretur.* Neque aliud Petrarcha legit, cuius verba haec sunt: *plurimos interfecit incensisque late FINIBUS in castra remeavit.*

C. 38, qui *(Morini)* quum propter siccitates paludum, quo se reciperent, non haberent. *(quo perfugio superiore anno fuerant usi)* omnes fere in potestatem Labieni venerunt] Verba, *quo perfugio superiore anno fuerant usi*, perperam inculcata sunt. Poterant eadem etiam ad sequentia notari, quippe anno superiore aeque Menapii atque Morini in silvas ac paludes confugerant. (V. B. G. III. 28.) Si notata essent, et librarii recepissent et metaphrastes transtulisset. Auctor autem longe praestantissimus nil nisi hoc habet: *qui quum propter temporis siccitatem solitum paludum receptaculum amisissent, ferme omnes ad obedientiam rediere.* Dele igitur illatam notam marginalem.

SCHEDAE CRITICAE
IN C. I. CAESARIS COMMENTARIORUM DE BELLO GALLICO
LIBRUM QUINTUM.

C. 1. Ad celeritatem onerandi, subductionesque, paullo facit *(naves)* humiliores, quam quibus in nostro mari uti consuevimus; atque id eo magis, quod propter crebras commutationes aestuum minus magnos ibi fluctus fieri cognoverat; ad onera, et ad multitudinem iumentorum transportandam paullo latiores, *quam quibus in reliquis utimur maribus*] Negat Charisius (I. p. 21. Putsch.) *marium* dici et *maribus*. Et recte. Nam ut *maribus* comprobaret Priscianus (VII. p. 770.), non debebat hoc loco uti. Nimirum neque illa verba, *quam quibus in reliquis utimur maribus*, genuina sunt neque ea, quae in Andin. et Oxon. leguntur, *quam quibus in alio mari uti adsueverant*. Utrumque enim ineptum inepti hominis additamentum est: nam neque *quam quibus in reliquis utimur maribus* neque *quam quibus in alio mari uti adsueverant* Caesar suppleri voluit, sed *quam quibus in nostro mari uti consuevimus*, id quod repetendum *facit* manifesto indicat.

Pirustae legatos ad eum mittunt, qui *doceant*, nihil earum rerum publico factum consilio: seseque paratos esse *demonstrant*, omnibus rationibus de iniuriis satisfacere] *demonstrant* mihi accitum videtur ex sequentibus, *sese bello civitatem persecuturum demonstrat*, nam quomodo verba (*docere* et *demonstrare*) distingues? Recte metaphr. *οἱ Πειροῦσται πρέσβεις πρὸς αὐτὸν πέμπουσιν, οὐδὲν τούτων κοινῇ πεπραχθαι διδάσκοντας, ἀλλ' ἑτοίμους σφᾶς εἶναι παντὶ πρόπῳ δίκην ἀντὶ τῶν πεπραγμένων ἀποδοῦναι.* Aliter B. G. VI. 9. *legatos mittunt, qui doceant, — petunt atque orant, ut* etc.

C. 2. quo ex portu commodissimum in Britanniam *transiectum* esse cognoverat, circiter milium passuum XXX *transmissum* a continenti] *transmissum*, quod in Faern. Lb. omissum est, ad vocem *transiectum* aliquem in margine notasse veri est similius, quam quod alii putant, *transiectum* vocis *transmissum* interpretamentum esse. Lege igitur, *quo ex portu commodissimum in Britanniam transiectum esse cognoverat, circiter milium passuum XXX a continenti*, et adhibe B. G. IV. 21. Ceterum confer ad c. 23.

Hinc rei quod satis *esse* visum est militum, reliquit] *esse* abest a Reg. Edd. R. M. V. non male. OUDEND. Nihil notavit ad B. G. I. 51. *postridie eius diei Caesar praesidio utrisque castris, quod satis esse visum est, reliquit*, ubi *esse* Leid. pr. et Bongars. tert. non exhibent.

C. 3. itaque esse civitatem in sua potestate: seque, si Caesar *permitteret*, ad eum in castra venturum, et suas, civitatisque fortunas eius fidei permissurum] Non *permissurum*, sed *permitteret* curare debebant interpretes. Nimirum id verbum absonum atque absurdum est. Scripsit auctor, ni fallor, *si Caesar vellet*. Quod male intellexit, qui pro eo *si Caesar permitteret* substituit. Recte Petrarch. p. 93. *si praeceperit*, recteque metaphr. *εἰ ἐπιτρέποι*. Confer ad c. 11. et 22.

C. 4. His adductis, in iis *filio*] *filiis* Cuiac. Scalig. et Leid. pr. Fluxit ex eodem librariorum errore, ex quo B. G. I. 18. *eius fugae* pro *eius fuga* ortum est. V. ad B. G. VI. 13. Vice versa c. 45. *huic servo* v. l. pro *hic servo* exstitit, ut *his insulis* pro *hi insulis* B. G. VI. 31.

Id *factum* graviter tulit Induciomarus (l. *Indutiomarus*), suam gratiam inter suos minui] *factum* in Gottorp. Leid. tert. Voss. et ed. inc. non legitur. Plurimi MSS. habent *id tulit factum*, exploso *graviter* vocabulo. Unde *factum* vocem spuriam esse non temere colligimus Atque idem solocca dictio opportune confirmat. Nimirum non *id FACTUM graviter tulit —, suam gratiam inter suos MINUI*, sed aut *id FACTUM graviter tulit —, suam gratiam inter suos MINUTAM ESSE*, aut *id FIERI graviter tulit —, suam gratiam inter suos MINUI* dicendum est. Quod si Heldio suboluisset, oleum et operam non perdidisset. Bene metaphr. *τοῦτο δὲ βαρέως ἤνεγκεν ὁ Ἰνδοντιόμαρος, τὸ τὴν ἑαυτοῦ δυναστείαν παρὰ τοῖς Τρεβιροῖς ἐλαττοῦσθαι*.

C. 7. Itaque dies circiter XXV in eo loco commoratus, quod Corus ventus navigationem impediebat, qui magnam partem omnis temporis in his *locis* flare consuevit] Petav. *in his partibus*. Sana est scriptura Lb. plurimorum, *qui magnam partem o. t. in his flare consuevit*, sc. *locis*, quod ex antecedentibus facile supplebis. Quare non est cur intrudamus, atque intrusum hoc esse et quidem ab interprete v. l. *partibus* satis debebat convincere.

Illi, ut erat imperatum, circumsistunt *hominem*, atque interficiunt] Vulg. *hominemque*. Oudendorp. ed. 2. *atque hominem interficiunt*, quod comprobarem, si mutationis ullam necessitatem viderem. Confer B. G. VII. 8. *quem perterriti omnes Arvenni circumsistunt atque obsecrant, ut suis fortunis consulat*. Tacit. Hist. III. 17. *firmati inter se densis ordinibus excipiunt Vitellianos temere effusos, atque illi consternantur*, i. e. *ubi firmati inter se densis ordinibus Vitellianos temere effusos exceperunt, illi consternantur*. Bene metaphr. *τὸν ἄνθρωπον περιστήσαντες ἀπέκτειναν*.

C. 8. ipse cum V legionibus et pari numero equitum, *quem* in continenti *relinquebat, Solis occasu* naves solvit] *quam* Andin. ex corr. Item *relinquebat, Solis occasu* Cuiac. Scalig. et Leid. pr. Quapropter vulgatum aeque probum, *reliquerat, ad Solis occasum*

haud dubie praeferendum est. V. ad B. G. II. 23. et infra ad c. 11.

C. 9. sed eos fugientes longius Caesar *prosequi* vetuit] Vulg. *persequi*, ut c. 10. Illud, quod apud Caesarem frequentissimum et hic ex auctoritate MSS. ab Oudendorpio restitutum est, i. q. προδιώκειν significat. Thuc. VI. 70.

C. 10. equites a Q. Atrio ad Caesarem venerunt, qui *nunciarent*] Gottorp. Voss. tert. et Leid. tert. *nunciaverunt*. Unde *qui nunciarunt* non coniiciam, nam vulgata lectio longe aptior est.

C. 11. easdem copias, *quas ante*, *praesidio navibus* reliquit] Cuiac. Scalig. Oxon. et Leid. pr. *quae ante* vel *antea pr. navibus fuerant*, quae emendatio ex c. 9. petita est. Recte Petrarch. p. 98. *relicto illis* (navibus), *ut prius*, *praesidio*.

Sed, nostro adventu *permoti* Britanni, hunc toti bello imperioque praefecerant] Sic MSS., quod sciam, omnes. Nihilominus non *permoti*, sed *perterriti* a Caesare dictum esse equidem coniicio. Vertit scilicet metaphrastes, τότε δὲ τῇ τοῦ Καίσαρός τε καὶ τῶν Ῥωμαίων ἐφόδῳ οἱ Βρεττανοὶ ἐκφοβηθέντες στρατηγὸν πάντων σφῶν τὸν Κασσιβέλαυνον τοῦτον εἵλοντο. Et transtulit Fr. Petrarcha, *sed nunc maiore externo bello TERRITI Britanni* etc.

C. 12. Maritima pars ab iis, qui *praedae ac belli inferendi caussa*, ex Belgis transierant] Coniunctio haec, *praedae ac belli inferendi caussa*, tam mira est, ut verba sana esse non dubitem praefracte negare. Ac videtur mihi ea compositio a sciolo facta esse, qui verba Iuliana, *qui praedae caussa*, ex sequentibus, *et bello illato ibi remanserunt*, illo *ac belli inferendi* locupletavit. Id, quod per se apertum est, cognosces etiam ex interpretatione graeca, τὰ δὲ παραθαλάσσια ὑπὸ Βελγῶν, λείας ἕνεκα ἐνταῦθα διαβάντων, κτλ.

Utuntur *aut aere aut taleis ferreis* ad certum pondus examinatis, pro nummo] Sic Scalig. Cuiac. et Leid. pr. Al. *utuntur aut aere, aut annulis ferreis*. Vetustiores Cdd. *utuntur aut* vel *autem aere, aut aliis ferreis*. Al. *utuntur autem nummo aereo, aut aliis ferreis;* al. *utuntur aut aere, aut nummo aereo, aut aliis ferreis*. Omnium nulla lectio recipienda est. Prima enim aeque ac secunda fluxit ex tertia. Tertia vero et quarta evaserunt ex quinta. Quinta autem nil nisi παρεπιγραφὴ est. Scilicet ad *pro nummo* adscripsit aliquis in margine, *aut aere, aut nummo aereo, aut aliis ferreis*. Quam notam quum librarii partim truncatam, partim totam reciperent, scripturam genuinam, ut solent, expulerunt. Eam autem hanc fuisse suspicor: *utuntur autem laminis ferreis ad certum pondus examinatis pro nummo*. Favet certe Strab. III. p. 233.

C. 13. In hoc medio cursu est insula, quae adpellatur Mona: complures praeterea minores *obiectae* insulae existimantur]

obiectae Scalig. Cuiac. Andin. Oxon. et Leid. pr. Vulg. *subiectae.* Quod cur spretum sit, equidem nescio, praesertim quum *obiectae* aut ex errore, aut ex correctione ortum sit. Nempe aut *s* eadem littera praecedente intercidit, aut verbum illud ex sequentibus accitum est. Confer B. Civ. III. 39. Ceterum similiter B. G. VI. 1. *sarciri* pro *resarciri* exstitit.

C. 14. Omnes vero se Britanni vitro inficiunt, quod caeruleum efficit colorem *atque hoc horridiore sunt in pugna adspectu*: capilloque sunt promisso —] Verba, *atque hoc horridiore sunt in pugna adspectu*, et minus recte dicta sunt et loco minus apto leguntur. Nam quum adspectus ille Britannorum non solum in pugna, sed in omni omnino vita fuerit, illud in *pugna* absonum est. Et quum adspectus horridus non tam ex caeruleo alicuius colore quam ex promisso capillo efficiatur, verba praepostere locata esse facile intelliges. Nego itaque ea Caesaris esse. Unde autem provenerint, inventu est facillimum. Scilicet super *capilloque sunt promisso* sciolus scripserat. Inde vero in ordinem verborum a librariis recepta sunt. Dele igitur verba spuria. Ceterum vide sis ad c. 34.

C. 17. Toto hoc in genere pugnae — intellectum est, nostros propter gravitatem *armorum* — minus aptos esse ad huius generis hostem] Scalig. Cuiac. Oxon. Andin. et Leid. pr. *armaturae*, qua correctione non opus esse docuit iam Herzogius. V. c. 34.

C. 17. repente ex omnibus *partibus* ad pabulatores advolaverunt] MSS. 13. et Ed. Inc. carent *τῷ partibus.* non male. V. ad c. 7. OUDEND. *ex omnibus* omisso *partibus* neque c. 7. defendet nec locus alius. Nescio autem an legendum sit, *repente ex collibus ad pabulatores advolaverunt.*

C. 18. Sed ea celeritate, *atque eo inpetu* milites ierunt] Grut. et Bentl. verba *atque eo inpetu* eiicienda censent. Equidem non magis tentare ausim quam *atque occulto* c. 32. *at hostes — collocatis insidiis bipartito in silvis opportuno atque occulto loco — Romanorum adventum exspectabant.*

C. 19. omnibus viis *notis* semitisque essedarios ex silvis emittebat] *notis* Cdd. vetustior. et editt. omnes omittunt. Exhibent Andin. et Oxon., quorum fide non debebat recipi. Fluxit fortasse ex B. G. IV. 26. *notis omnibus vadis.*

C. 20. cuius pater *Imanuentius* in ea civitate regnum obtinuerat] *Imanuentius* neque Cdd. Oudend. habent nec Fr. Petrarcha. Nihilominus editores fere omnes conservant.

C. 22. Caesar, quum *statuisset hiemem* in continenti propter repentinos Galliae motus *agere*] MSS. praeter Ursin. Cuiac. Scalig. Andin. Oxon. et Leid. pr. *constituisset* (*instituisset* Bongars. sec.) *hiemare.* Aliud produnt verba Petrarchae, *quum enim esset Caesaris INTENTIO in Gallia hibernare*, quocum metaphrastes con-

sentit. Vertit scilicet, ὁ δὲ Καῖσαρ ἐν τῇ ἠπείρῳ διὰ τὰς τῆς Γαλατίας ἐξαίφνης κινήσεις χειμάζειν διανοῶν. Propono itaque, *quum* INTENDISSET *in continenti propter repentinos Galliae motus hiemare.*

interdicit atque imperat Cassivellauno, ne Mandubratio, neu Trinobantibus *bellum faciat*] Vulg. *noceat.* Illud, quod Cuiac. Andin. et Oxon. offerunt, interpretis inventum est. Recte metaphr. τῷ Κασσιβελαύνῳ ἀπεῖπε τόν τε Μανδουβράτιον καὶ Τρινοβάντας μὴ βλάπτειν. Neque aliud sequutus est Petrarcha, cuius verba haec sunt: illud expressim dedito imperatum, ne qua in re Trinovantibus aliisque dediticiis Romanorum, ante alios Mandubracio, occisi regis filio, *noceatur.*

C. 23. at ex iis *(navibus)*, quae *inanes* ex continenti ad eum remitterentur, *et prioris commeatus expositis militibus*, et quas postea Labienus faciendas curaverat numero LX, perpaucae locum caperent, reliquae fere omnes reiicerentur] *et prioris commeatus expositis militibus* explicat Heldius: *et quibus pr. comm. milites reportati erant.* Sed eiusmodi explicationem non putabam a quoquam procudi posse. Alii vero *et* expungunt. Vellem etiam *prioris commeatus expositis militibus* expunxissent, nam bis idem Caesar non dixit. Effinxerunt vero librarii. Nempe ad *inanes* notaverat aliquis, *prioris commeatus expositis militibus*, quod adsuta *et* vocula librarii in textum invexerunt. Similiter legebatur B. G. II. 22. quum *diversis locis* legiones *aliae alia in parte* hostibus resisterent.

C. 25. Tertium *iam* hunc annum regnantem *inimici, iam multis palam ex civitate auctoribus, eum interfecerunt*] Lb. plurimi et optimi haec offerunt: *tertium iam hunc annum regnantem* INIMICIS *iam multis palam ex civitate* ET HIS (vel *ET IIS*) *auctoribus eum interfecerunt.* Al. ex corr. *inimici* exhibent; al. *eum* et *et his* (vel *et iis*) omittunt. Vulg. *inimici palam, multis etiam ex c. auctoribus, eum interfecerunt*, vel *inimici, palam multis etiam* etc. Genuinum vix quisquam aperiet. Nam non Caesaris, sed interpretis verba habemus. Nimirum, nisi mea me fallit opinio, haec annotatio marginalis fuit: *palam* EX CIVITATE ET HIS (vel *ET IIS*) AUCTORIBUS EUM INTERFECERUNT. Quam quum librarii Iulianis verbis adderent, locum egregie corruperunt. Suspicor autem Caesarem sic scripsisse: *tertium hunc annum regnantem inimicis iam multis auctoribus Carnutes interfecerunt.* Atque ad haec aliquem notasse, *palam* EX CIVITATE ET HIS (vel *ET IIS*) AUCTORIBUS EUM INTERFECERUNT, veri est simillimum. Ceterum primum *iam* spurium esse affatim convincit alterum. Ac videtur nonnisi geminatione litterarum ortum esse. Itaque eiecimus.

C. 26. magna manu *castra obpugnatum* venerunt] MSS. et

editt. vett. *ad castra oppugnatum* (*oppugnanda* corr. MSS. Scalig. Oxon. et Leid. pr.). Bene B. G. I. 30. *bello Helvetiorum confecto totius fere Galliae legati principes civitatum ad Caesarem gratulatum convenerunt.* VII. 11. *altero die quum ad oppidum Senonum Velläunodunum venisset, — oppugnare instituit.* V. 17. *nostri acriter in eos impetu facto repulerunt.* — Eur. Phoen. 154. ὃς ἐπ' ἐμὰν πόλιν ἔβα πέρσων, ubi vide quae contulimus.

C. 27. apud quos Ambiorix *in* hunc modum locutus est] Sic Cuiac. Scalig. Oxon. et Leid. pr. Caesar dixit *ad h. m.*

C. 28. Arpincius et Iunius, quae *audierint*, ad legatos deferunt] Plerique MSS. *audierunt.* Vulg. *audierant.* Illud Cell. et al. Sed cur Coniunctivus illatus sit, quum aeque bene Indicativus locum habere possit, non intelligo equidem. Quare *audierunt* reponendum est. Petrarch. *audita renunciant.*

C. 30. *Vincite,* inquit, *si ita vultis,* Sabinus; et id clariore voce, ut magna pars militum exaudiret: *neque is sum,* inquit, *qui gravissime ex vobis mortis periculo terrear*] Alterum *inquit* praecedente voce *neque* necessarium est. Cave igitur, ne ex antecedentibus repetitum putes. Recte omisit Petrarch. p. 106. et *vincite, ait, si omnino sic est animus. NON sum ego, qui magis quam vos omnes mortem timeam.*

qui, si per te liceat, perendino die cum proximis hibernis coniuncti, communem cum reliquis belli casum sustineant: *nec* reiecti et relegati longe ab ceteris, aut ferro, aut fame intereant] *nec* Cuiac. Andin. Oxon. et Leid. pr. habent, cui genuinum *non,* quod longe aptius esse quilibet persentiet, nuperrime demum praelatum est. Confer adversaria nostra ad Soph. Trachin. 150.

C. 33. Tum demum Titurius, *ut qui nihil ante providisset,* trepidare, concursare, cohortesque disponere: haec tamen ipsa timide, atque ut eum omnia deficere viderentur: *quod plerumque iis accidere consuevit, qui in ipso negotio consilium capere coguntur*] Verba, *ut qui nihil ante providisset,* Gruterus suppositicia esse opinabatur. Mihi potius verba sequentia, *quod plerumque iis accidere consuevit, qui in ipso negotio consilium capere coguntur,* suspecta sunt. Nec habet ea Fr. Petrarch. p. 108. *Titurius, qui secura sibi omnia finxerat, pavere coepit atque omni bellica arte destitui; contra autem* etc. Similiter

C. 34. *Erant et virtute, et numero pugnando pares:* nostri tamen etsi ab duce, et a fortuna deserebantur, tamen omnem spem salutis in virtute ponebant] inculcata sunt praepostere, *erant et virtute et numero pugnandi pares.* Nam verborum coniunctio, utcunque ea explicare volueris, tam inepta manebit, ut eius Caesarem auctorem esse nemo mihi persuadeat. Arbitror igitur *erant et virtute et numero pugnando pares* scioli additamentum esse, quod super sequentia scriptum fuisse et inde in textum irrepsisse

valde est probabile. Confer ad c. 14. Ceterum verba Petrarchae, quae huc interpretes referunt, *hostis, qui expertus agnosceret suos Romanis in angusto impares*, non huc, sed ad sequens *qua re animadversa* referenda esse nemo negabit sobrius.

quam in partem Romani inpetum fecerint, cedant; (levitate armorum, et quotidiana exercitatione nihil iis noceri posse:) rursus se ad signa recipientes insequantur] Lipsius coniiciebat, ea, quae parenthesi inclusa sunt, ex Glossemate esse orta. OUDEND. Nec agnoscit ea Fr. Petrarch. p. 108. *instantibus parumper cedant instentque cedentibus.* Sed ei equidem hic nullam fidem habeo, quia et hic et supra minus diligenter transtulit.

C. 35. L. Cotta legatus omnes cohortes ordinesque adhortans *in* adversum os funda vulneratur] Praepositionem corrector Cod. Andini expunxit et omisit Fr. Petrarcha.

C. 36. Cotta se ad armatum hostem iturum negat atque in eo *constitit*] *constitit* Andin. Cuiac. et Scalig. *consistit* Oxon. Vulg. *perseverat.* „Optime, inquit Oudendorpius, *constitit*, ni fallor; cuius Glossa est *perseverat*, permanet.“ *Constitit* glossam esse et *consistit* indicat et nota MSS. illorum auctoritas. V. ad c. 43. et confer Cic. Legg. III. 11. 26. *perseveras tu quidem et in tua vetere sententia permanes.*

C. 37. *Illi* aegre ad noctem obpugnationem sustinent] Pro *illi* v. l. *alii.* Videtur neque *illi* neque *alii* Caesaris esse. Et neutrum confirmat Petrarch. p. 110. *MILITES ducibus spoliati multo labore ac virtute usque ad noctem locum, ubi constiterant, defenderunt.*

C. 39. de inproviso ad Ciceronis hiberna advolant, nondum ad eum fama de Titurii morte perlata. *Huic* quoque accidit, quod fuit necesse, ut nonnulli milites — repentino equitum adventu interciperentur] MSS. partim *huic*, partim *huc* habent. Hoc, quum facilius quam illud corrumpi potuerit et illo longe aptius sit, equidem praeferam. Significat *ad hoc, hierzu.*

C. 40. Noctu ex *ea* materia, quam munitionis caussa comportaverant, —] *ea* non comparet in MSS. 15. nec. Edd. pp. OUDEND. Nihilominus omnes reservant. Idem explosimus B. G. I. 8.

C. 43. Hostes, maximo clamore *insecuti, quasi* parta iam atque explorata victoria, turres, testudinesque agere, et scalis vallum adscendere coeperunt] Sic Cuiac. Scalig. Andin. Oxon. et Leid. pr. Plerique MSS. *maximo clamore, sicuti parta* etc. Illud a correctore, cuius vestigia iam saepius deteximus, perperam substitutum esse facile, puto, intelliges, ubi totum locum sic constitueris, ut constituendus est: *Hae celeriter ignem comprehenderunt et venti magnitudine in omnem castrorum locum distulerunt: hostes maximo clamore, sicuti parta iam atque explorata victoria, turres*

testudinesque agere et scalis vallum adscendere coeperunt. Cuius generis plura attulimus ad B. G. I. 4.

C. 44. Haec quum dixisset, procedit *extra munitiones;* quaque pars hostium confertissima visa est, *in eam* inrumpit] Sic fere Cuiac. Scalig. Andin. Oxon. et Leid. pr. Alii Cdd. alia exhibent, veluti „*ex castris munitionesque qua parte hostium* est in Bong. pr. supra scripto *m.* atque ita in singul. Lovan. cum Edd. Rom. Mediol. ac Ven. *ex castris munitiones quaeque parti hostium* MSS. II. et Ed. Inc. Sed *ex castris munitione quique parti host.* Bong. sec. *ex castris munitionemque quaeque parti hostium* Egmund. Unus Lipsii, *ex castris munitiones quaecumque parti host.* Ortel. *ex castris munitiones qua parte.* Denique Petav. *ex castris munitionem quaeque pars hostium. In eam* nullus, nisi initio huius notae memorati Codd. qui omnes habent *pars,* et Leid. pr. *quaeque pars* agnoscit.“ OUDEND. Ceterum *in* Cuiac. Oxon. et Leid. pr. non habent. Lege autem, *procedit ex castris quaque pars hostium confertissima visa est, irrumpit.* Nimirum vocem *munitiones* ex praecedentibus (*quum acerrime ad munitiones pugnaretur*) repetitam esse et per se est verisimile et vv. ll. *munitiones, munitionem* (int'.), *munitione* (l'.) egregie convincunt. Nempe manifestae hae παρεπιγραφαὶ sunt, ex quibus et illud *extra munitiones* et adiecta *que* vocula *munitionesque* et *munitionemque* exstiterunt. Deinde *quaque* sequente nomine et nomen sequente verbo a librariis depravatum esse pro explorato habemus. V. B. G. VII. 84. Denique *in eam* non a Caesare, sed ab emendatore adsutum esse et v. l. *eam* et ipsi, qui illud offerunt, Lb. satis declarant. Similiter auctor interpretationis graecae, ταῦτα μὲν εἰπὼν ἐξῆλθέ τε τοῦ στρατοπέδου καὶ ἧ μάλιστα συνεσπαρμένοι ἐφαίνοντο, ταύτῃ addidit. Confer B. G. VI. 34.

Ne Varenus quidem *tum* vallo sese continet, sed omnium veritus existimationem subsequitur] Pro *ne* v. l. est *nec.* Minus recte. Cic. Offic. I. 45. 159. Praeter alios frequentem illum errorem Bentleius notavit ad Hor. Serm. II. 3. 262. p. 492. Lips. Praeterea *tum* nonnisi in MSS. Cuiac. Scalig. Andin. Oxon. et Leid. pr. legitur atque in iis sedem incertam habet. „*Sed temere in tam minutis rursus mutare, operae pretium non est.*“ Verba sunt Oudendorpii, ex quibus eius diligentiam cognoscimus. Equidem eum, qui *tum,* quod hic aeque futile est ac supra *insecuti,* eiecerit, temeritatis non insimulabo. Petrarch. p. 113. *nec Varenus segnior seu virtutis stimulis adactus seu metu infamiae aemulum consequitur.*

Mediocri spatio relicto, Pulfio pilum in hostes mittit, atque unum ex multitudine procurrentem transiicit] Plerique MSS. *tum* vel *tunc m. sp.* r. Editores partim servata, partim deleta voce *tum* vel *tunc* verba *mediocri spacio relicto* partim ad subsequentia, partim ad antecedentia referunt. Sed quum ea, sive ad antece-

dentia sive ad subsequentia retuleris, sive spatium inter Varenum et Pulfionem, sive spatium inter Pulfionem et Varenum intellexeris; praecedente verbo *subsequitur* supervacanea maneant, verba Caesaris esse facile negare possis. Sed cave, ne ex interpretum errore tibi tale quid persuadeas. Locus enim omnino sic constituendus est: *Haec quum dixisset, procedit ex castris quaque pars hostium confertissima visa est, irrumpit; ne Varenus quidem vallo sese continet, sed omnium veritus existimationem subsequitur. Mediocri spatio relicto Pulfio pilum in hostes mittit* etc. Intellige igitur spatium inter Pulfionem et hostes, quod Fr. Petrarcha dudum intellexit: habet enim *quum ad iactum teli pervenisset.* Similiter legimus B. G. VI. 7. Labienus — praesidio cohortium quinque impedimentis relicto cum XXV cohortibus magnoque equitatu contra hostem proficiscitur, et *M passuum intermisso spatio* castra communit. — Ceterum *tum*, ab aliis mutatum in *tunc*, meram παρεπιγραφὴν esse iam ex eo apparet, quod librarii alii vocem iam supra, alii hic demum inculcarunt.

Ad hunc *(Varenum)* se confestim a Pulfione omnis multitudo convertit. *Illum veruto transfixum arbitrantur. Occursat ocius* gladio, comminus*que* rem gerit *Varenus*] vv. ll. pro *illum v. tr. arb.* recensere non duco operae pretium: nam omnes omnino spurias esse et aliunde et ex ipsis efficitur. Recte igitur Lem. Cod. emblema omittit recteque Fr. Petrarcha transtulit, *in hunc primo omisso tota acies ruit. Ipse stricto gladio* etc. Ceterum in Lb. optimis exstat, *gladio cominus rem gerit Varenus*, in aliis vero, *illic vero occursat ocius gladio cominusque rem gerit Varenus.* Vulg. *Varenus gladio cominus rem gerit.* Sed interposito illo additamento (*illum v. tr. arb.*) nomen *Varenus* pro pronomine substitutum esse veri videtur simillimum. Neque est illud apud Petrarcham. Itaque sic fac emendes: *ILLE gl. c. r. gerit.*

C. 46. *Exiit* cum nuncio Crassus] Optimi Lb. *exit.* Quare genuinum reponas. Similiter B. G. VI. 4. *arbitrabatur* v. l. est pro *arbitratur*, VI. 6. *adiit* pro *adit*, VI. 36. *misit* pro *mittit.*

Alterum ad C. Fabium legatum mittit, ut in Atrebatium fines legionem adducat, *qua sibi iter faciundum sciebat*] Sic Cuiac. Scalig. Andin. Oxon. et Leid. pr. Cett. et editt. vett. *qua sibi iter faciendum.* Cdd. recentt. *qua sibi sit iter faciendum.* Omnium nihil, ni fallor, Iulianum est. Videntur enim verba, quaecunque demum ab initio fuerunt, enarratoris esse. Certe aeque atque illa, *illum veruto transfixum arbitrantur*, ridicula et puerilia sunt. Qua de caussa ea eiiciam. Confer ad B. G. I. 25.

C. 47. eo die milia passuum XX *progreditur*] *progreditur* corrector, *procedit* Caesar scripsit. Item *processuros* pro *progressuros* reponendum est B. G. VII. 14.

C. 48. Venit magnis itineribus in Nerviorum fines. Ibi ex

captivis cognoscit] Lege, *Venit magnis itineribus in Nerviorum fines; ibi ex captivis cognoscit.* B. G. I. 18. *eadem secreto ab aliis quaerit; reperit esse vera.*

C. 49. ea erant *armatorum* circiter milia LX] v. l. *armatae* ex noto librariorum orta est. Similiter infra pro *quo commodissime* Andin. et Leid. pr. *quo commodissimo* exhibent. Confer ad c. 4.

circiter milia passum IV progressus trans vallem *magnam*, et rivum, multitudinem hostium conspicatur] *magnam* fide nititur Cuiac. Scalig. Andin. Oxon. Leid. pr. et metaphr. Vocem suppositiciam esse ex c. seq. cognoscimus. Ceterum iidem fere auctores Caesarem et alias et infra c. 52. princ. perperam locupletarunt.

C. 52. quod detrimentum culpa et temeritate legati sit acceptum, hoc aequiore animo ferendum docet, quod beneficio deorum inmortalium, et virtute eorum expiato incommodo, neque hostibus diutina *laetatio*, neque ipsis longior *dolor* relinquatur] *laetatio* debemus sciolo, qui si pro *dolor* pari modo *dolitio* effinxisset, id et librarii intulissent et interpretes tutati essent. Bonum autem factum est, quod alterum ille neglexit, nam satis nunc apparet, non *laetatio*, sed *laetitia* Iulianum esse. Idemque Fr. Petrarcha confirmat.

C. 53. In his ab L. Roscio *legato* —] v. l. *quaestore*. Unde neutrum a Caesare additum esse coniicimus. Et favent huic coniecturae Fr. Petrarcha et graecus interpres.

C. 55. magna parte exercitus nostri interfecta, *multo minorem* superesse dicerent partem] Male vertit metaphr. τοῦ τε τῆς τῶν Ῥωμαίων στρατιᾶς πλείστου μέρους διαφθαρέντος ὀλίγον ἔτι μόνον ὑπόλοιπον εἶναι λέγοντες. Rectius reddidit Petrarcha *magnam partem Romani exercitus interfectam et superstites semianimes asserendo*. Nempe *minor* valet i. q. *inferior* s. *infirmior*.

C. 56. armatum concilium indicit, (*hoc more Gallorum est initium belli*) quo, lege communi, omnes puberes armati convenire consuerunt] Emblema in Cod. Petav. recte omissum est. Neque legit Fr. Petrarcha, cuius verba haec sunt: *ut — concilium indiceret, quod armatum appellabant, ad quod armati omnes puberes convenirent.* Fluxit fortasse ex B. G. VI. 3.

qui ex iis novissimus *venit*] *convenit*, quod in Lb. plurimis et optimis est, aeque fluxit ex antecedentibus atque *debeant* B. G. I. 17. *possent* B. G. II. 9. *habebant* B. G. IV. 4. Petrarch. *et veniisse novissimum capitale erat.*

C. 58. *proterritis* hostibus atque in fugam coniectis] v. l. *perterritis*. Contra c. 15. *proruperunt* v. l. est pro *perruperunt*, ut *prorumpere* pro *perrumpere* B. G. VII. 19. et *proluuntur* pro *perluuntur* B. G. VI. 21. V. de vulgari praepositionum confusione ad B. G. III. 26.

SCHEDAE CRITICAE
IN C. I. CAESARIS COMMENTARIORUM DE BELLO GALLICO
LIBRUM SEXTUM.

C. 1. Multis de caussis Caesar — *dilectum* habere instituit] „In omnibus Caesaris editionibus, quae quidem accuratiores habentur, ante Oudendorpium scribebatur *delectus*, quam scribendi rationem hic primus *ob consensum veterrimorum codicum* mutavit. Qui postea Caesarem ediderunt, Oudendorpium sequuti sunt omnes. Et hoc quidem loco sic legitur in Bong. pr. sec. Voss. pr. Egm. Oxon. Lovan. et quatuor aliis; infra Lib. VII. c. 1. *dilectus* dant „Bong. pr. Voss. pr. et multi alii." Attamen quum in aliis MSS. iisque non pessimis scribatur *delectus*, haecque scribendi ratio etiam in aliis scriptoribus, uti in *Livio* Gronovii, Graevii *Suetonio* et *Tacito* Ernestii obtineat, res nondum videtur ad liquidum perducta, et, si solis standum codicibus est, semper incerta erit ac fluxa. Nondum enim probavit quisquam, vocabulum *delectus* esse repudiandum. Atque omnium minime hoc praestitit Herzogius ad hunc ipsum locum. Aliam igitur viam ingrediamur necesse est ad verum indagandum. Vocabulum *delectus* descendere a *deligendo*, dubium non est. Inter verba autem *deligendi* et *diligendi* magnum intercedere discrimen, perspicitur ex loco Auct. ad Herenn. Lib. IV. c. 21. *Deligere* oportet, quem velis *diligere*. Hinc facilis est conclusio, idem quoque discrimen intercedere inter nomina inde deducta. At antiquitus, inquiunt, *dilecta* tam *amatam* significabat, quam *selectam*, *electam*. V. Bentl. ad Horat. Od. II, 4, 18. T. I. p. 101. ed. Lips. Audio. Sed rationem, qua hoc comprobetur, nullam video aliam atque pravam pronuntiationem. Atque circa Ciceronis aetatem inter illa verba discrimen intercessisse ex loco supra laudato vidimus. Apud Caesarem librarii *dilectum* iccirco videntur scripsisse, ut nomen a participio *delectum* discernerent. Unquam autem hominem doctrina liberali politiorem ita dixisse, nedum scripserit, prorsus nego. Tantum enim *diligere* a *deligendo* differt, si solam utriusque verbi originem spectas, ut nemo unquam, nisi indoctus, haec verba queat confundere. Est enim *diligere* factum ex *dis* praepositione inseperabili et *legendo*, et proprie significat *legendo atterere, zerlesen;* hinc quum rem, quam legendo quasi atteras, saepius manu diurna nocturnaque versere necesse sit, vel propter utilitatem, quam tibi praestat, vel propter delectationem, facile nata est notio *curae* et

amoris eximii, quam deinde solam hoc verbum obtinuit. Hinc igitur induit *diligere* potestatem *amandi aliquem eximie*, nec vero inde, quod tibi *ex pluribus* ille, quem diligas, sit eligendus; nam hanc vim vocula *dis* non admittit, quae plane respondet nostris *zer* et *auseinander*, eamque potestatem in omnibus verbis, quibus adiungitur, tuetur pertinaciter. Hinc etiam factum sine dubio est, ut verbum *discribendi* nusquam reperiatur; * * * * * * * Venio ad *deligere*. Compositum hoc est ex *de* praepositione et *legendo*, et respondet nostro *ablesen*, deinde universe significat *eligere*. Si qui autem contendunt (ut Herzog. ad B. G. I. 3. p. 17.), denotare hoc verbum *eligere in certum finem*, in eo falluntur egregie, nam hoc non inest in verbo, sed in tota enuntiatione. Quae quum ita sint, intelligitur, recte dici *deligere milites*, non autem *diligere*, nam quis unquam Latinorum scriptorum dixit: Caesar quum *dilexisset* in Italia milites in Galliam contendit. Et qui hoc contendunt exempla afferant necesse est, in quibus *tempus perfectum*, aut quae ab hoc formata sunt tempora leguntur, his enim solis his dirimi potest. Quare quum, ut supra vidimus, *delectus* a *deligendo* descendat atque hoc, non *diligere*, notionem *eligendi* habeat, sequitur, ut ubi hoc opus sit, ibi locum tantummodo habeat *delectus*. Imo quum locus, in quo *dilectus* amorem denotet, nusquam repertus sit, et apud solum Tertullianum adv. Marcion. IV, 27. in hoc significatu *dilectio* deprehendatur, res deducta eo est, quo deducere eam voluimus; tantum enim abest, ut pro nomine *delectus* apud Caesarem scribi debeat *dilectus*, ut *dilectus* ne vocabulum quidem sit Latinum." Emend. Iulian. p. 9. sq. Adde Varr. L. L. p. 90. et Kritz. ad Sall. Catil. p. 168.

si quid esset in bello detrimenti acceptum, non modo id brevi tempore *sarciri*, sed etiam maioribus adaugeri copiis posset] Praeter Andin. et Oxon. MSS. omnes *resarciri* offerunt, quod revocandum est. Nam *sarciri* aut vulgari librariorum errori, aut noto correctori debemus. V. ad B. G. V. 13.

C. 4. aestivum tempus instantis belli, non quaestionis, esse *arbitrabatur*] Rectius Bongars. pr. Voss. pr. Egm. al. *arbitratur*. Item *exit* pro *exiit* restituimus B. G. V. 46.

C. 5. Cavarinum cum equitatu Senonum secum proficisci iubet, ne quis aut ex huius iracundia, aut ex *eo, quod meruerat*, odio civitatis, motus *exsistat*] *Metuerat*, v. l. pro *meruerat*, videtur prodere, neque *meruerat* neque *metuerat* Iulianum esse. Possis itaque coniicere, Caesarem sic scripsisse: *aut ex huius iracundia, aut ex odio civitatis*. Idemque et graecus interpres confirmat et Fr. Petrarcha. Vertit ille, ἐκ τῆς ἐκείνου ὀργῆς, ἢ ἐξ οὗ ἰσχυρῶς ἢ τῶν Καρνοντῶν ἐμίσει πόλις, et transtulit hic, *vel ex odio populi in eum, vel ex ira eius in populum*. Ceterum *oriretur*, v. l. pro *exsistat*, mutandi cupidus ex c. 9. depromsit.

Haec prius *illi* detrahenda auxilia existimabat, quam ipsum *bello lacesseret*] v. l. *bellum*. Unde orta sit, disces ex notatis ad B. G. V. 4. Similiter c. 15. *copiisque amplissimis* pro *c. amplissimus* exstitit. Petrarch. *hos auxiliares sibi praeripere censebat utilius, quam ipsum illum bello aggredi.* Quibus verbis v. l. *lacessendum* non potes defendere.

C. 6. Caesar — *adit*] Vulg *adiit*, ut *exiit* B. G. V. 46.

C. 8. *adesse eum*, et haec coram cernere, existimate] Sic corr. MSS. Scalig. Andin. Oxon. et Leid pr. Sed Caesar dixit, *atque illum adesse.* Metaphr. ἐκεῖνόν τε ἐνθάδε παρεῖναι, Petrarch. *et adesse illum.*

Cum iis propinqui Inducionmari, qui defectionis auctores fuerant, *comitati eos*, ex civitate excessere] Aut *cum iis*, aut *comitati eos* suppositicium esse incurrit quasi in oculos. Vertit metaphr. τούτοις δὲ οἱ μὲν τοῦ Ινδουτιομάρου συγγενεῖς, τῆς ἀποστάσεως αἴτιοι γενόμενοι, ἠκολούθησαν. Nos *comitati eos* explosimus ad B. G. II. 8.

C. 10. sperans, barbaros, atque imperitos homines, inopia cibariorum *adductos*, ad iniquam pugnandi conditionem posse *deduci*] Leid. pr. *afflictos — adduci*, ex emend. Si *adductos* omnino non adesset, equidem non desiderarem. Sed confirmat verbum praeter MSS. et metaphr. gravissimus auctor Fr. Petrarcha. Neque idem fere verbum a Caesare repetitum quemquam offendet.

C. 13. si qui *aut privatus aut publicus* eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt] Verba, *aut privatus aut publicus*, aut spuria aut corrupta sunt. Nemo enim unquam privato *publicum* opposuit. Puto autem dictionem non insiticiam, sed a librariis depravatam esse. Nimirum vocabulo praecedenti voces sequentes male adaptarunt, cuiusmodi vitia maxime vulgaria sunt. V. ad c. 5. Corrigam itaque, *si qui aut privato aut publico eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt.*

his omnes decedunt, aditum *eorum* sermonemque defugiunt] Pronomen *eorum* auctoritate Andin. Oxon. et Leid. pr. non defendam equidem. Mox, *neque iis petentibus ius redditur, neque honos ullus* (cum iis) *communicatur.* Confer ad B. G. I. 12.

Hoc mortuo, si qui ex reliquis excellit dignitate, succedit. *At*, si sunt plures pares, suffragio Druidum *adlegitur*; nonnumquam etiam armis de principatu contendunt] Pro *at*, si Andin. et Oxon. exceperis, omnes MSS. *aut* habent, quam vocalem etiam post *mortuo* praeter Cuiac. Scalig. Andin. Oxon. et Leid. pr. omnes agnoscunt. Praeterea verbum *adlegitur* in Cuiac. Scalig. Petav. Andin. Oxon. et Leid. pr. exstat, pro quo in Bongars. pr. a. m. sec. *deligitur.* Illud suppositicium esse et ipsum verbum convincit et supplementum alterum. Lege igitur ex auctoritate MSS. „Hoc mortuo aut, si qui ex reliquis excellit, dignitate

succedit; aut, si sunt plures pares, *suffragio Druidum, nonnunquam etiam armis* de principatu contendunt," i. e. omnino, *succedit aliquis aut dignitate, aut pluribus dignitate paribus contentione.*

C. 14. militiae vacationem, omniumque *rerum* habent immunitatem] Emendatio *omniumque onerum* non videtur necessaria esse.

C. 18. Huic *(Marti)*, *quum proelio dimicare constituerunt*, ea, quae bello ceperint, plerumque devovent. *Quae superaverint*, animalia capta inmolant: reliquas res in unum locum conferunt] Recte emendavit Clark. *quum superaverunt*, nam *quae superaverint* inepta inepti hominis correctio est.

neque saepe accidit, ut —] Plures MSS. *neque ut s. acc.* Unde V. D. non male coniecit, *neque id s. acc.* B. G. III. 2. *id aliquot de caussis acciderat, ut subito Galli belli renovandi legionisque opprimendae consilium caperent.*

C. 21. hoc ali staturam, ali *hoc* vires, nervosque confirmari putant] Alterum *hoc* nescio an a manu aliena repetitum sit. Exstat in Cuiac. Petav. Oxon. et Leid. pr. De quorum fide confer ad c. 14. et Oudendorp. ad c. 17. extr.

C. 23. Civitatibus maxima laus est, quam *latissimas* circum se vastatis finibus solitudines habere] *latissimas* Urs. et Petav. *latissimis* Oxon. et Leid. pr. Utrumque ex corr. Plerique MSS. *latissime*, quod genuinum neque ex B. G. IV. 3. huc tralatum esse existimo.

C. 24. Paullatim adsuefacti superari, multisque victi proeliis, *ne se quidem ipsi* cum illis virtute comparant] Exspectabas aut *ne ipsi quidem se*, aut *ne se ipsi quidem.* Vulgatum novo et singulari modo defendebat Heldius. Est autem nota marginali depravatum. Nempe *quidem* manifesta *παρεπιγραφή* est, quam a librariis illatam esse nec negabit nec mirabitur, qui perversum verborum ordinem perspexerit et quam diximus librariorum consuetudinem, cognoverit. Itaque sic rescribam: *ne se ipsi cum illis virtute comparant.* Sic Lovan. c. 36. *ac ne calonem quemquam — egredi passus.* Adde B. G. VII. 8. ibiq. Oudendorp. et praeter Ruhnk. ad Rutil. p. 129. Davis. ad Cic. Fin. I. 6.

C. 28. Hoc se labore durant *homines* adolescentes] Vulg. *h. s. l. d. adolescentes.* Illud editores ex auctoritate Scalig. et Leid. pr. receperunt, quare equidem non sequar. V. ad B. G. II. 23.

C. 29. inopiam frumenti veritus, quod, ut supra demonstravimus, minime *omnes* Germani agriculturae student] Supra demonstravit Germanos omnino agriculturae non studere. Patet igitur vocem *omnes* aut corruptam, aut suppositam esse. Illud videbatur interpretibus, hoc mihi videtur. Et favent meae opinioni verba Petrarchae, *quod eo tempore GERMANIS agriculturae studium non erat*, et interpretatio graeca, *οὐ πολὺ, ὡς καὶ ἤδη ἐῤῥέθη, τῇ γεωργίᾳ οἱ Γερμανοὶ σπουδάζουσιν.*

ipse, quum maturescere frumenta inciperent, ad bellum Ambiorigis profectus, *per Arduennam silvam, quae est totius Galliae maxima, atque ab ripis Rheni finibusque Trevirorum ad Nervios pertinet, milibusque amplius D in longitudinem patet*, L Minucium Basilum cum omni equitatu praemittit] Verba, *per Ard. — patet*, non Caesaris, sed interpretis sunt, id quod ex illo *per Arduennam silvam* et ex ipsa descriptione satis apparet. Scilicet illud *per Arduennam silvam* a manu aliena adsutum est, quemadmodum B. G. V. 46. *qua sibi iter faciundum sciebat*, VII. 12. *Biturigum positum in via*, atque alia alias. Aliam vero descriptionem ipse Caesar exhibuit B. G. V. 3. Unde illam spuriam et aliunde illatam esse VV. DD. recte coniecerunt. Confer ad B. G. I. 25. et metaphr. *αὐτὸς δὲ, ἐπειδὴ τάχιστα ὁ χιλὸς ἤμαζεν, ἐπὶ τὸν κατὰ τοῦ Ἀμβιόριγος ἐξώρμησε πόλεμον, τόν τε Λούκιον Μινούτιον Βασίλιον μετὰ παντὸς προὔμεμψε τοῦ ἱππικοῦ*.

C. 30. Nam sicut magno accidit casu, ut in ipsum incautum atque etiam inparatum incideret, *priusque eius adventus ab hominibus videretur, quam fama ac nuncii adferretur*, –] Andin. et Oxon. (quos Lb. Heldius inscite *praestantissimos* dixit) *prius videretur ab omnibus quam fama ac nuncius afferetur*. Cuiac. Scalig. et Leid. pr. (quos Heldius aeque atque Andin. et Oxon. honore eximio mactavit) *priusque adventus eius ab omnibus videretur, quam fama ac* (vel *aut*) *nuncius adventus afferretur*. Ceterum *omnibus* etiam in Bongars. pr. et al. legitur et *nuncius* confirmant Bongars. pr. Voss. omn. Petav. Egm. Gott. al. Qui verba illa omnino genuina esse negaverit, ei equidem non contradicam. Videntur scilicet ad similitudinem orationis Iulianae expressa esse (v. B. Civ. III. 7. et B. G. VII. 8. 9.), sed nonnisi ad antecedentia in margine adscripta fuisse: id quod illud *ab omnibus* vel *ab hominibus* prodit, scriptura Andin. et Oxon. (conf. ad B. G. III. 9.) indicat et metaphrastes convincit. Nempe emblema non *neglexit*, sed in MSS. suis non reperit.

C. 31. sed certe, *clam* dimissis per agros nunciis] *clam* MSS. praeter Andin. et Oxon. non agnoscunt, neque apta vocula est. Recte igitur explodes.

qui proximi Oceanum fuerunt, *his* insulis sese occultaverunt] *his insulis* pro *hi ins.* ut *huic servo* pro *hic servo*. B. G. V. 45.

C. 33. ipse cum reliquis tribus ad flumen *Scaldem*, quod influit in Mosam, extremasque Arduennae partis ire constituit] Metaphr. *Σάβιν* habet, quod nomen et dictio Iuliana, *extremas QUE Arduennae partis*, et alia efflagitant. V. Mannert. Geogr. Gr. et Rom. II. p. 164. sq.

C. 34. Erat, ut supra demonstravimus, manus certa nulla, non oppidum, non praesidium, quod se armis defenderet, sed omnis in partis dispersa multitudo. *Ubi cuique* aut vallis abdita,

aut locus silvestris, aut palus inpedita spem praesidii *aut* salutis aliquam obferebat, consederat] MSS. longe plurimi iique optimi non *ubi cuique*, sed *ubicunque* exhibent. Illud Scalig. Andin. et Oxon. offerunt. Voluit autem, ni fallor, emendationis auctor, *ubicunque cuique*, sed librariorum inscitia *ubi cuique* protulit. Lege igitur, *erat, ut supra demonstravimus, manus certa nulla, non oppidum, non praesidium, quod se armis defenderet, sed omnis in partis dispersa multitudo, ubicunque aut vallis abdita, aut locus silvestris, aut palus impedita spem praesidii ac* (v. metaphr.) *salutis aliquam offerebat, consederat.* Quod cur spreverint interpretes, praesertim quum quam maxime sincerum sit, equidem non assequor. Nam cur dici nequeat, *omnis in partis dispersa multitudo consederat, ubicunque* etc. nemodum aperuit neque quisquam, puto, exponet.

nullum enim poterat universis *ab* perterritis ac dispersis periculum accidere] Vulg. omissa praepositione, *u. e. poterat, un. pert. ac disp. per. acc.* Excidit illa ut B. G. I. 34. VII. 1. et alias. V. ad B. G. III. 20. 2?.

ut potius in nocendo aliquid *omitteretur*] *omitteretur* Andin. et Oxon. Sed *praetermitteretur* Caesar scripsit.

simul ut, magna multitudine circumfusa, *pro tali facinore*, stirps ac nomen civitatis tollatur] *pro tali facinore* omittit Lovan. et graecus interpres et videtur emblema suppositum esse.

C. 36. Cicero, qui *per* omnes dies —] Dele praepositionem fide destitutam, quod dudum, sed frustra suasit Davisius. Idem in sequentibus aeque recte reponi iussit *CUM summa diligentia.*

diffidens, de numero dierum Caesarem fidem servaturum, quod longius *eum* progressum audiebat, —] Pronomen haud dubie eiusdem est, qui correxit vel immutavit antecedentia et infra *misit* pro *mittit* substituit atque *in castris* intulit eademque fere verba c. seq. delevit.

C. 41. equitatum *tantum* se ex fuga recepisse] *tantum* Urs. Cuiac. Scalig. et Petav. a m. sec. Cett. non agnoscunt, neque legit metaphrastes nec vidit Petrarcha. Quare vocem aut ex syllabis, quae praecedunt, ortam, aut consulto illatam Lemairius iure eiecit.

C. 43. frumenta non solum *a* tanta multitudine iumentorum atque hominum consumebantur] In plurimis MSS. praepositio non legitur. Utrum a Caesare, an a librariis omissa sit, vix, reor, decernes.

ille latebris *ac silvis*, aut saltibus se eriperet] Lb. plurimi iique optimi, *ille latebris aut saltibus.* Sed Cuiac. et Oxon. *ille latebris ac (aut* Andin. Leid. pr. et Petav. a m. sec.) *silvis aut saltibus.* Exspectabam saltem, *ille latebris aut saltibus ac silvis*, quemadmodum Virgilius *saltus silvasque* dixit. Nunc vero ineptus

ordo verborum claro est indicio, illa vocabula aut suprascripta, aut in margine notata fuisse et inde in textum irrepsisse. Itaque ea expungas, etsi Herzogius, ut solet, repugnat.

SCHEDAE CRITICAE
IN C. I. CAESARIS COMMENTARIORUM DE BELLO GALLICO
LIBRUM SEPTIMUM.

C. 5. non videtur pro certo esse *ponendum*] Omnes MSS. praeter Urs. Scalig. Cuiac. Andin. Oxon. et Leid. pr. *proponendum*, quod revocandum est. Significat i. q. *dicendum*. Item in sequentibus non *se cum Arvernis coniungunt*, sed *cum Arvernis iunguntur* genuinum est. Item c. 6. non *pacati*, sed *quieti* Caesar scripsit.

C. 6. His rebus in *Italiam* Caesari nunciatis] Leid. pr. et sec. *in Italia*, ex emend. Confer Liv. XXIX. 32. XXXVII. 18. et advers. nostra ad Soph. Trach. p. 128.

C. 8. summo militum *labore* ad fines Arvernorum pervenit] MSS. plerique *sudore* habent, qua voce videtur aliquis *summo labore* explicare voluisse. Recte Petrarch. *multo labore*, recteque metaphr. σὺν μεγάλῃ σπουδῇ.

ac ne singulari *quidem* umquam homini eo tempore anni semitae patuerant] Scalig. et Leid. pr. *quidem* omittunt. Si non genuina, certe Iuliana dictio est. V. ad B. G. V. 24.

C. 9. His constitutis rebus, suis inopinantibus — Viennam pervenit] Scalig. Cuiac. Oxon. Leid. pr. et Petav. in marg. *omnibus suis inop.* Depromsit corrector *omnibus* ex c. 10.

neque diurno, neque nocturno itinere intermissa] Hinc fluxit fortasse, quod legebamus B. G. I. 26. *nullam partem noctis itinere intermisso.*

C. 11. idque biduo circumvallavit: tertio die missis ex oppido legatis de deditione, arma proferri, iumenta produci, DC obsides dari iubet] Lege, *Idque biduo circumvallavit: tertio die missis ex oppido legatis de deditione arma conferri* (sic. Lb. longe optimi), *iumenta produci, DC obsides dari iubet.* Perperam haec cum antecedentibus coniunguntur, id quod vel pronomen *id* prohibere debebat. Bene Petrarch. p. 144. „Oppidani *bidui oppugnatione tolerata* die tertio legatos ad Caesarem de pace ac deditione transmittunt.“ Confer seq. *Ea qui conficeret, C. Trebonium*

legatum relinquit: ipse, ut quam primum iter faceret (non *conficeret*), *Genabum Carnutum proficiscitur*, i. e. ubi ad eas res conficiendas C. Trebonium legatum reliquit: ipse, ut etc. Adde quae attulimus ad B. G. I. 51.

oppidum Genabum pons fluminis Ligeris *continebat*] v. l. *contingebat* quaesita et a sciolo profecta est. Illud i. est q. *coniungebat*.

perpaucis ex hostium numero desideratis, quin *cuncti vivi* caperentur] Vox *cuncti* abest a Leid. sec. at pro ea in Andin. Cuiac. Leid. pr. et Oxon. legitur, *Vivi*. Utrumque admitterem, *cuncti vivi caperentur*. OUDEND. Proponebat corrector, ni fallor, *quin vivi caperentur*, sed librarii *quin cuncti vivi caperentur* procuderunt. Hunc autem librariorum errorem non debebant viri admittere. Recte Petrarch. p. 145. itaque paucissimi evasere; viarum et pontis angustiis capti *omnes*. Neque aliter metaphr. *τῶν πολεμίων πάντων ἐκτὸς ὀλίγων καταληφθέντων*.

C. 12. Ille oppidum *(Biturigum, positum in via,)* Noviodunum obpugnare instituit] Emblema Fr. Petrarcha et Cdd. plurimi non agnoscunt. Et nego id Iulianum esse. Bene Oudendorp. „non erat oppidum Biturigum, sed Aeduorum in finibus Biturigum. Nam hoc occupato, dein ad Biturigas ulterius profectus est, et Avaricum cap. sequenti etiamnum in finibus Biturigum obpugnatum ivit.“ Est igitur illud *Biturigum positum in via (auf dem Wege zu den Bit. gelegen)* ineptum interpretis additamentum. Nam quum Caesar in finibus Biturigum versetur, per se iam intelligitur etiam oppidum ab eo oppugnatum in finibus Biturigum esse. Quare nota, quae fuit, marginalis deleri debet. V. ad B. G. VI. 29.

C. 14. ut pabulatione *et* commeatu Romani prohibeantur] MSS. plurimi et editt. vett. *aut comm.* Cuiusmodi vitia supra notavimus ad B. G. I. 13.

Haec si gravia, aut acerba videantur, multo illa gravius aestimare *debere*] Sic Petav. Cuiac. Scalig. Andin. Oxon. Leid. pr. et metaphr. Sed in Bongars. pr. Lov. Egm. et al. *debere* non exstat. Et videtur *multo illa gravius aestimare*, quod ad ipsum Vercingetorigem referendum est, longe aptius esse quam *multo illa gravius aestimare debere*. Sed quum metaphrastes verterit, *εἰ δὲ τοῦτο αἰσχρόν τε καὶ βαρὺ δοκεῖ KATANOEITE, ἔφη*, *κτλ.* idque Petrarcha suis verbis confirmet, *si quis est, cui haec acria videantur, COGITET*, etc. locum omnino non sanum esse existimo. Emendent autem me acutiores.

C. 15. In omnibus partibus incendia conspiciuntur: quae etsi magno cum dolore omnes ferebant, tamen *hoc sibi solatii proponebant*, quod *se, prope* explorata victoria, celeriter amissa recuperaturos confidebant] *quod se prope* omittunt Bongars. Voss. Egm.

Gott. Petav. et al. *se prope* non agnoscunt Lovan. Duk. et Dorv. Praeterea pro *confidebant* Andin. Oxon. et Leid. pr. *sperabant* offerunt. Fuit, si quid video, *hoc sibi solatii proponebant* mera παρεπιγραφή. Itaque corrigam, *quae etsi magno cum dolore, omnes ferebant tamen, quod* —. Confer Tacit. Ann. IV. 7. *quae cuncta non comi quidem via, sed horridus ac plerumque formidatus retinebat tamen.* Aristoph. Nub. κἀγὼ μόλις μὲν, ἀλλ' ὅμως ἠνεσχόμην. Sequentia autem sic videntur emendanda esse: *q. explorata victoria celeriter amissa recuperaturos confidebant.* Habet enim metaphr. ὅτι νικήσαντες εὐθὺς, ἃ ἀπέβαλον, ἀπολήψεσθαι ἤλπιζον, habetque Fr. Petrarch. *quos ea spes lenibat* (sic), *quod PARTA VICTORIA cito perdita omnes restaurarent.* Unde aeque *se* ac *prope* esse suppositum non temere coniicies. Cave vero ne *explorata* tentes. B. G. V. 43. quasi parta iam atque explorata victoria.

C. 17. sic se compluris annos, illo imperante, meruisse, ut nullam ignominiam acciperent, *numquam* infecta re discederent] Rectius MSS. plerique et editt. vett. *nusquam.* Metaphr. οὐδαμόθεν.

C. 18. insidiarum caussa *eo* profectum, quo —] Quum *eo* in Scalig. Andin. Oxon. et Leid. pr. non exstet et in aliis pro eo *esse* legatur, Oudendorpius vocem *supervacaneam* putabat. Supervacanea autem per se videri potest; sed quum eam Lb. praestantissimi agnoscant et satis tueatur Fr. Petrarcha, non sequar correctorem.

C. 19. quos quum sic animo paratos videat, ut nullum pro sua laude periculum recusent, summae se iniquitatis condemnari debere, nisi eorum vitam sua *salute* habeat cariorem] Emendabat Davisius praeeunte interprete graeco, *sua laude h. c.* Sed hac explicatione non opus est. Recte Petrarch. *impius sim, nisi vestram vitam meae praeferam saluti.*

C. 20. Vercingetorix, quum ad suos redisset, proditionis *insimulatus*] v. l. *insimulatus* et metaphr. translatione et verbis Petrarchae stabilire possumus, eamque equidem scripturae vulgatae praeferam.

persuasum loci obportunitate, qui se *ipsum* munitione defenderet] *ipsum* pro *ipse* Ex errore librariorum est, de quo videsis ad B. G. VI. 13.

turpiter se ex *hac* fuga recipientem] *hac* levi auctoritate munitum expungendum censeo.

C. 21. Statuunt, ut decem milia hominum delecta ex omnibus *copiis* in oppidum submittantur] *copiis* Cuiac. Scalig. Andin. Oxon. et Leid. pr. Cett. et editt. pr. *locis*, quod restituam. Petrarch. p. 153. Galli decem milia *ex omni Gallia* electorum hominum oppido intruserant.

C. 23. Muris autem omnibus Gallicis haec fere forma est]

Sic corrector Caesaris, Caesar vero sic scripsit: *muri autem omnes Gallici hac fere forma sunt.* Confer ad c. 5. fin. et ad B. G. III. 15.

C. 24. quum toto tempore *tuto*, frigore, et adsiduis imbribus tardaretur] *luto* nonnisi in marg. Urs. Scalig. Cuiac. Petav. et Leid. pr. legitur. Est igitur aperta παρεπιγαφή. Nihilominus ab editoribus inculcatur.

C. 27. *Legiones* intra vineas in *occulto expeditas* cohortatur, ut —] Lege, *legionibusque intra vineas expeditis, cohortatus, ut aliquando pro tantis laboribus fructum victoriae perciperent. His qui primi murum adscendissent, praemia proposuit militibusque signum dedit: illi subito ex omnibus partibus evolaverunt murumque celeriter compleverunt.* Scilicet *in occulto*, quod Scalig. Leid. pr. et metaphr. non habent, non magis genuinum est quam *extra castra*, additamentum alterum. V. ad B. G. I. 25. Ceterum ad illud defendendum hominem doctum B. G. I. 31. (petieruntque, ubi sibi *secreto in occulto* de sua omniumque salute cum eo agere liceret) testari posse vix putabam.

C. 28. si qua ex parte *obviam contra* veniretur] Perperam editores lectionem a librariis conflatam conservant, nam aut *obviam*, aut *contra* ex margine illatum esse vel caeco non obscurum est. Metaphr. vertit, ἤν τίς σφισι ἀπαντῴη τῶν πολεμίων. Dele igitur *contra*, quod iam Faerni et Ursiai e MS. deleverunt.

C. 30. Fuit haec oratio non ingrata Gallis; *maxime*, quod —] Rectius Lb. plurimi et editt. pr. *et maxime.* Confer B. G. V. 45.

quae imperarentur, sibi *patienda et perferenda* existimarent] Vulg. *patienda exist.* Illud Oudendorpius ex Cdd. deterioribus recepit. Quamquam Caesar synonyma saepissime coniungit, nescio tamen an hic scripserit, *sibi perferenda exist.* Favet certe lectio vulgata. Nempe verbo *patienda* ex margine in textum illato *perferenda* videtur eiectum esse. V. ad B. G. II. 8.

C. 31. Huic rei idoneos homines deligebat: quorum quisque aut oratione subdola, aut amicitia facillime *capi* posset] Verbum *capi* MSS. plurimi omittunt et pro forma pass. Bongars. pr. cum Lovan. formam act. habet. Lege, *quorum quisque aut oratione subdola aut amicitia facillime posset.* Quod quum minus intelligeretur, ab aliis *capi*, ab aliis *capere* adiectum est. Recte vero Fr. Petrarcha transtulit, *inque hoc opus quos mitteret, viros elegerat, qui vel noti in populis acceptique vel blanda oratione atque ingenio vel principum familiaritate POLLENTES ac gratia idonei visi erant.* Confer B. G. I. 18. neque solum domi, sed etiam apud finitimas civitates largiter *posse.*

C. 32. divisum populum *in* suas cuiusque eorum clientelas] Sic Scalig. et fortasse Andin. et Oxon. Rectius cett. MSS. et editt. *divisum populum; suas cuiusque eorum clientelas.*

C. 33. Convictolitanem, qui per sacerdotes, more civitatis,

intermissis magistratibus esset creatus, potestatem obtinere iussit] Metaphr. *παρόντων τῶν ἀρχόντων*. Sed verbis *interm. mag.* significari debebat, *quum magistratus vacaret*. Quod quum non significent neque aliud aptum sit, puto ea insitícia esse. Neque legit Fr. Petrarcha.

C. 34. Vercingetorix — ab altera *Elaveris* parte iter facere coepit] Lb. optimi *ab altera fluminis p.* habent, quare hoc reponam.

C. 35. Quum uterque *utrique* esset exercitus in conspectu, fereque e regione castris castra *poneret;* dispositis exploratoribus, necubi effecto ponte Romani copias transducerent; erat in magnis Caesari difficultatibus res, ne maiorem aestatis partem flumine impediretur; quod non fere ante autumnum Elaver vado transiri solet] Corruptum locum sic emendo: *Qua re cognita* (a quibus verbis caput incipiendum esse iam auctor emendationum vidit) *Vercingetorix omnibus interruptis eius fluminis pontibus ab altera fluminis parte iter facere coepit. Quum uterque UTRIMQUE esset exercitus, in conspectu fereque e regione castris castra PONEBAT, dispositis exploratoribus, necubi effecto ponte Romani copias transducerent. ERAT in magnis Caesari difficultatibus res, ne maiorem aestatis partem flumine impediretur, quod non fere ante autumnum Elaver vado transiri solet.*

Itaque — postero die cum II legionibus in occulto restitit; reliquas copias cum omnibus impedimentis, ut consueverat, misit, *captis (quartis) quibusque cohortibus*, uti numerus legionum constare videretur] *Quartis* servant MSS. Andin. et Oxon. et Leid. sec. et Vascosani margo. Sed *demptis* [quae pro *captis* v. l. est] non agnoscunt Andin. et Oxon. et pro *quibusque* (quod est in solo Andino, si excerptis est credendum) habet Oxon. *quidem*. Reliqui omnes nec *quartis* habent, et *quibusdam* legunt. *Demptis* etiam modo reperi in Leid. tert. Duk. et Dorvill. Ceteri, quotquot numerare possum, *captis quibusdam*, vel *quibusdam captis*. OUDEND. Aliam insuper lectionem Fr. Petrarcha sequutus est, cuius verba haec sunt: „praemissis e regione omnibus impedimentis et quatuor legionibus *additisque* cohortibus aliquot, ut constare numerus videretur omnium legionum et speciem exercitus praeberet alibi aditum quaerentis, ipse locis abditis cum duabus tantum, quae supererant, legionibus se tenuit. „Ceterum hoc respiciens Dio Cassius haec habet Lib. XL. c. 35. *κἀκ τούτου ἔν τε ὑλώδει τινὶ καὶ ἐν συσκίῳ τόπῳ γενόμενος τὰ μὲν σκευοφόρα καὶ τοῦ στρατοῦ τὸ πλεῖον προέπεμψε, μακρὰν ἐκτεταμένῃ τάξει κελεύσας αὐτοὺς προϊέναι, ὥστε καὶ πάντας σφᾶς ἐνταῦθα εἶναι δοκεῖν.* Eumque legisse suspicor, *captis cohortibus, uti numerus legionum constare vidisset.* Quod non perversum esset, si Caesar *sic captis cohortibus, uti* — scripsisset. Sed *sic* more suo omisit. V. Ouden-

dorp. ad B. G. III. 14. Quod quum nescirent, qui Caesarem interpolarunt, inepta interpretamenta protulerunt, quibus quod proponebat emendationum auctor, *quartatis cohortibus*, non praeferendum est, praesertim quum verbum *quartare* et eius similia infimae tantum latinitatis sint.

C. 36. Caesar ex eo loco quintis castris Gergoviam pervenit; equestrique proelio eo die levi facto, perspecto urbis situ, quae posita in altissimo monte omnis aditus difficiles habebat, *de expugnatione desperavit: de obsessione* non prius agendum constituit, quam rem frumentariam expedisset] *desperavit: de obsidione* Bongars. Voss. Egm. Lovan. al. et editt. pr. non exhibent, et pro *expugnatione* in Andin. Leid. pr. et Oxon. *oppugnatione* exstat. Qui lectionem vulgatam defendebant, nil nisi ipsa verba neque eorum sententiam comprobarunt. Sed quam facile illud fuit, tam difficile hoc est. Nam quis unquam de oppidi *expugnatione* (i. e. *Einnahme* nihilque amplius) desperans de obsessione cogitavit? Is profecto neque Caesar neque quisquam fuit alius. Futilis igitur illa lectio est et aperte a librariis compacta. Nimirum *de expugnatione desperavit*, quod quis aeque atque illud *hoc sibi solatii proponebant* in margine notaverat, verbis Iulianis perperam admiscuerunt. Itaque παρεπιγραφὴ expungenda est. Recte Petrarch. p. 160. Casar urbem altissimo in monte sitam et accessu ab omni parte difficilem speculatus et agnoscens non exigui temporis opus esse oppugnationem differendam statuit, donec curam rei frumentariae et commeatibus impendisset.

Erat e regione oppidi collis sub ipsis radicibus montis egregie munitus, atque ex omni parte circumcisus: (quem si tenerent nostri et aquae magna parte, et pabulatione libera prohibituri hostes videbantur) sed is locus praesidio ab iis non nimis firmo tenebatur. *Tamen* silentio noctis Caesar ex castris egressus, prius quam subsidio ex oppido veniri posset, deiecto praesidio, potitus loco, duas ibi legiones conlocavit] Deest protasis, *quamquam is locus praesidio ab iis non nimis firmo tenebatur.* V. Ramsh. p. 690.

C. 38. ex media caede *profugisse*] *fugisse* est in MSS. plerisque et aliquot editt. Recte. Supr. *qui ex ipsa caede fugerunt.* Ceterum idem verbum c. 40. restituendum est.

Ostendit cives Romanos, qui eius praesidii fiducia una erant. *Continuo* magnum numerum frumenti, commeatusque diripit; ipsos —] *continuo* corrector Cdd. Scalig. Cuiac. Petav. Oxon. Andin. et Leid. pr. invexit. Sed eo vocabulo hic non magis indigemus quam c. 11. *ea qui conficeret. C. Trebonium legatum relinquit: ipse, ut quam primum iter faceret, Genabum Carnutum proficiscitur.* Legendum enim est: Ostendit cives Romanos, qui eius praesidii fiducia una erant: magnum numerum frumenti commeatusque diripit, ipsos —.

C. 39. quem Caesar *sibi* ab Divitiaco transditum ex humili loco ad summam dignitatem perduxerat] Pronomen *sibi* non ausim expellere, etsi in MSS. partim deest, partim post *Divitiaco* legitur. Confer Petrarch. p. 164. *hunc Caesar sibi a Divitiaco commendatum ex imo in altum valde provexerat.*

C. 40. paullo ante reperit ad hostes *profugisse*] MSS. praeter Scalig. Cuiac. Oxon. Andin. et Leid. pr. *fugisse.* Illud ex fine h. c. petitum esse nemo non intelligit.

C. 41. multitudine sagittarum, atque *omnis generis* telorum multos vulneratos] Urs. Scalig. Andin. Oxon. et Leid. pr. *omni genere.* De Iuliano vix potest ambigi, quare hoc ab editoribus male praelatum est.

C. 42. multis utrisque interfectis, maiorem multitudinem *ad arma* concitant] Vulg. *maiorem multitudinem armatorum concitant.* Illud *ad arma*, quod Scalig. Cuiac. Andin. Oxon. et Leid. pr. offerunt, videtur in margine notatum fuisse et inde in textum illatum genuinum expulisse. Fortasse autem et *ad arma* et *armatorum* suppositum est. Certe neutrum legisse videtur Petrarcha, quippe verba eius haec sunt: multis ultro citroque occisis in diem posterum *vim maiorem parant.* Quod si ita est, *armatorum* puto ex B. G. III. 3. tralatum esse.

C. 44. Constabat inter omnes, quod iam ipse Caesar per exploratores cognoverat, dorsum esse eius iugi prope aequum, *sed silvestre et angustum*, qua esset aditus ad alteram oppidi partem] MSS. tantum non omnes aut *sed hunc silvestrem* —, aut *sed silvestrem* — habent. Unde coniicio, hanc ad sequentia, *qua esset ADITUS ad alteram oppidi partem*, meram παρεπιγραφὴν fuisse. Confer Petrarch. p. 169. *quod inde PLANUM iter esset ad oppidum.*

C. 45. Prima luce magnum numerum impedimentorum ex castris *mulorumque* produci, *eque iis stramenta detrahi*, mulionesque cum cassidibus, equitum specie ac simulatione, collibus circumvehi iubet] Sic fere MSS. Urs. Cuiac. Scalig. Leid. pr. et marg. Petav. nisi quod *neque* pro *eque* exhibent. Sed Lb. cett. et editt. ante Urs. *mulorumque produci eque iis stramenta* omittunt. Lege, quod legit metaphrastes, *prima luce magnum numerum impedimentorum ex castris PRODUCI mulionesque* etc. Nempe *mulorum* adiecta explicatio et *neque iis stramenta detrahi* adiecta interrogatio fuit. Quod si vidisset Oudendorpius, de Cdd. suis hic et alias rectius iudicasset.

C. 47. Consecutus id, quod animo proposuerat, Caesar receptui cani iussit: legionisque decimae, quacum erat *concionatus*, signa constitere] Verbum *concionatus* quo se defendat, non habet. Suppositum igitur existimo ut *permitteret* B. G. V. 3. *permoti* B. G. V. 11. et *periculum* B. G. VII. 84. Iulianum autem esse ar-

bitror, *quacum erat conversatus.* Petrarch. *substitit legio, quae propinqua erat.*

Matresfamiliae de muro vestem argentumque iactabant; et *pectoris fine* prominentes, passis manibus obtestabantur Romanos] Omnes fere MSS. *pectore nudo.* „Optime, inquit Oudendorpius, Andin. et Oxon. *pectoris fine*: doctius, quam a librariis proficisci potuit; quare in textum sine scrupulo admisi. Qui illos Cdd. novit, non admittet sine scrupulo. V. c. 58. 64. 71. 73. 81. 85. al.

C. 48. matresfamiliae, quae paullo ante Romanis *de muro* manus tendebant] *de muro* praeter aliquot MSS. metaphrastes cum Petrarcha omittit, et videtur ex c. 47. repetitum esse.

C. 49. cohortes *ex castris* celeriter educeret] *ex castris* in Cuiac. Oxon. et Leid. pr. non exstat. De qua correctione vide sis ad B. G. VI. 36.

C. 52. Postero die —] Lege, *Postero die Caesar concione advocata temeritatem cupiditatemque militum reprehendit, quod sibi ipsi iudicavissent, quo procedendum, aut quid agendum videretur, neque signo recipiendi dato constitissent, neque ab tribunis militum legatisque retineri potuissent*: *EXPOSUIT, quid* etc. Confer ad B. G. I. 51.

C. 53. Quum Vercingetorix nihilo *magis* in aequum locum descenderet] Lb. *minus* pro *magis* exhibent, ut B. G. III. 13. V. 1. Recte metaphr. ἐπειδὴ δὲ οἱ πολέμιοι οὐκ ἀντεξῆσαν, secus Petrarch. *ipse etiam in plana descendit.*

C. 54. Ibi a Viridomaro atque Eporedorige Aeduis adpellatus, discit, cum omni equitatu Litavicum ad sollicitandos Aeduos profectum: opus esse *et* ipsos praecedere (l. *antecedere*) ad confirmandam civitatem] Exspectabam saltem, *et opus esse, ipsos* etc. V. Petrarch. p. 175. Nunc locus ineptus voculam *et* insiticiam esse satis declarat. Neque exstat ea in Cdd. praestantioribus. Ceterum Petav. habet *Bibracte ad soll.*, cuiusmodi notas iam supra reperimus B. G. V. 46. VI. 29.

et quam in fortunam, quamque in amplitudinem deduxisset] Scalig. Andin. Oxon. et Leid. pr. *etiam eam fortunam amplitudinemque duxisse.* Urs. *et in eam fortunam amplitudinemque DEDUXISSET.* Illam scioli emendationem esse correctio altera manifesto prodit et praeter Heldium quilibet intelliget.

C. 55. Itaque, interfectis Novioduni custodibus, quique eo negotiandi, *aut itineris* caussa, convenerant] *aut itineris* legimus tantum in Ciacc. Cuiac. Scalig. Andin. Oxon. et Leid. pr. Quare id Iulianum esse non affirmabo equidem.

ipsi ex finitimis regionibus copias cogere, praesidia, custodiasque ad ripas Ligeris disponere, equitatumque omnibus locis, iniiciendi timoris caussa, ostentare coeperunt; si *ab* re frumentaria Romanos excludere, *aut adductos inopia ex Provincia exclu-*

dere possent] Vulg. *aut re fr.* Leid. pr. *si re fr.* Correxit Davisius, *si ab re frumentaria Romanos excludere ET adductos inopia IN PROVINCIAM REPELLERE possent.* Sed hoc modo nihil non refingi potest. Emendes potius, *si re frumentaria Romanos excludere possent.* Scilicet qui v. l. proponere voluit, eius illud *AUT adductos inopia ex Provincia* (i. e. a reditu in Provinciam) *excludere* futile inventum est. Recte Petrarch. *ut eum, si non aliter, saltem FAME REPELLERENT.* Similes autem παρεπιγραφὰς explosimus iam B. G. I. 13. III. 6. IV. 5.

C. 56. nam ut commutato consilio iter in Provinciam converteret, (*ut nemo non tum quidem necessario faciundum existimabat,*) quum infamia atque indignitas rei, et obpositus mons Cevenna, viarumque difficultas inpediebat; tum maxime, quod —] Plerique MSS. *ut* vel *id ne metu quidem.* Ciacc. Urs. et Oxon. *ut nemo tunc quidem.* Neutrum emblema a Caesare profectum esse arbitror. Utrumque enim et absonum atque ineptum est, et tenorem orationis perperam interrumpit. Lege igitur, *nam ut commutato consilio iter in Provinciam converteret, quum infamia atque indignitas rei et oppositus mons Cevenna viarumque difficultas impediebat, tum maxime, quod —.*

C. 58. Id est oppidum Senonum in insula Sequanae positum, ut paullo ante *Lutetiam* diximus] MSS. praeter Andin. et Oxon. *de Lutetia*, quod Oudendorpius et editores sequaces ex sua Cdd. notitia conservare non poterant.

Hostes — Lutetiam *incendi*, pontesque eius oppidi rescindi iubent] Petav. et Leid. pr. *incendunt*, ex corr. eleganti. Petrarch. *hostes oppidum incenderunt pontesque oppidi — reseiderunt.* Neque aliter metaphr.

C. 60. *Itaque* sub vesperum consilio convocato, cohortatus, ut —] Prima vox nonnisi in Cuiac. Scalig. Petav. Andin. Oxon. et Leid. pr. legitur. Etsi non incommoda est, tamen eam Iulianam esse vix mihi persuadeo.

C. 62. neque nostrorum militum *victorum* inpetum sustinere potuerunt] Rectius praestantiores Cdd. *victorumque imp. sust. pot.*

C. 64. Ille imperat reliquis civitatibus obsides. Denique ei rei constituit diem: huc omnes equites, XV milia numero, celeriter convenire iubet] Quid sibi *denique* velit et quo *huc* referendum sit, nemo, reor, aperiet. Verisimillimum igitur est, quod iam coniecit Heldius, totum capitis principium depravatum et corruptum esse. Coniecit autem ex iis, quae post *iubet* in Andin. et Oxon. exstant, *diemque bello constituit, equites ex sua pecunia ut singulos denarios accipiant, constituit: hos omnes celeriter iubet convenire.* Quae ex nota marginali a librariis inscite inculcata esse negari non potest. Confer ad B. G. I. 40. Genuinum autem vix quisquam restituet, ut ex verbis Fr. Petrarchae, *Vercingetorix —*

edicit — omnibus, ut EQUITUM certum numerum conficiant, obtemperatumque illico est. Quindecim milia EQUITUM fuisse satis CONVENIT, facile intelliges.

C. 65. Eorum adventu, quod minus idoneis equis utebantur, a tribunis militum, reliquisque, *sed et equitibus Romanis, atque evocatis*, equos sumit, Germanisque distribuit] *Sed et equitibus Romanis atque evocatis παρεπιγραφῆς* partem alteram esse illud *sed et* luculenter convincit. Qua de caussa non solum *sed et*, sed etiam *equitibus Romanis atque evocatis* equidem eiiciam.

C. 66. nam de equitibus hostium, quin nemo eorum progredi modo extra agmen audeat, *ne ipsos quidem* debere dubitare] Iulianum est, *et ipsos quidem non debere dubitare.*

C. 67. Qua re nunciata, Caesar suum quoque equitatum, tripartito divisum, contra hostem ire iubet. Pugnatur una *tunc* omnibus in partibus] v. l. est *tum*. Sed utraqne vox in corr. tantum Cdd. reperitur et hic non minus spuria est quam B. G. V, 44.

Si qua in parte nostri laborare, aut gravius premi videbantur, eo signa inferri Caesar, aciemque *converti* iubebat] Praecedente verbo *inferre* ludibundus *conferri* coniecit, quod Leid. pr. exhibet. Sed non magis *converti* genuinum est, nam Caesar *constitui* scripsit, ut Lb. testantur longe optimi. V. Oudendorp. ad B. G. II. 19.

Qua re animadversa, reliqui, *ne circumvenirentur*, veriti, se fugae mandant] Repone *circuirentur*, nam illud eius est, qui Caesarem interpolavit.

C. 68. Caesar, impedimentis in proximum collem deductis, duabus*que* legionibus praesidio relictis, —] Ex auctoritate MSS. locum sic fac refingas: *Caesar impedimentis in proximum collem deductis duabus legionibus praesidio relictis sequutus* etc. Scilicet *impedimentis deductis* Dativus est, quod non monuissem, si interpretes assequuti essent.

altero die ad Alesiam castra fecit. Perspecto urbis situ, perterritisque hostibus, quod equitatu, qua maxime parte exercitus confidebant, erant pulsi; adhortatus ad laborem milites, *Alesiam* circumvallare instituit] Nomen *Alesiam* Lb. optimi omittunt. Et recte. Confer c. 11. altero die quum ad oppidum Senonum Vellaunodunum venisset, ne quem post se hostem relinqueret, quo expeditiore re frumentaria uteretur, *oppugnare instituit.*

C. 69 Ipsum erat oppidum in colle *summo*, *admodum edito loco*, ut —] Perperam propagant editores, quae est eorum patientia vel socordia, *admodum edito loco.* Quae verba auctoris *παρεπιγραφῆς* esse luce paene clarius est. Nempe qui *summo* explicare voluit, ea margini adleverat, unde librarii in textum transtulerunt. V. de eiusmodi corruptionibus ad B. G. II. 8.

quibus in castellis interdiu stationes *disponebantur*] Sic Caesaris corrector, Caesar vero *ponebantur* dixit.

C. 71. His datis mandatis] Ex eo, quod Andin. et Oxon. *his dictis* habent, Oudendorpius *his datis dictis* vel *his dictis datis* inscite coniecit. V. ad c. 47. et ad B. G. I. 34.

C. 73. Erat eodem tempore et materiari, et frumentari et tantas munitiones fieri *necesse*] *necesse* in Andin. et Oxon. omissum est. *Κάλλος κακῶν ὕπνιον*. Nihilominus irretivit interpretes.

C. 75. nec *frumentandi* rationem habere] v. l. *frumenti*. Item *belli* pro *bellandi* v. l. est c. 66.

C. 77. *Apud quos* variis dictis sententiis] *apud quos* Cuiac. Andin. Oxon. Leid. pr. et Voss. tert. Vulg. *ac v. d. s.* Illud ob usum creberrimum recipere non dubitavit Oudendorpius. Sed ea de caussa ego dubitabo, praesertim quum Lb. illi deteriores sint.

Quid, hominum milibns LXXX uno loco interfectis, propinquis consanguineisque nostris animi fore existimatis] Plures MSS. *quid in hom.* Unde praeeunte interprete graeco facile suspicari possumus, *quid enim hom.* Nescio autem an *in* illud in locum incommodum illatum sit. Videtur enim ad *propinq.* in margine notatum fuisse.

C. 79. Interea Commius, *et reliqui* duces] Rectius plurimi MSS. *reliquique*. V. c. 65 et Ruddim. Instt. II. p. 343. Stallb.

C. 80. atque omnium militum intenti *animi* pugnae proventum *exspectabant*] Lege, *omnes milites intenti p. prov. exsp.*, quod MSS. fide dignissimi habent. Illud ex inepta styli Iuliani imitatione (v. c. 79. et B. G. III. 22.) ortum et invectum est.

Quum suos *pugna* superiores esse Galli confiderent] Egregiae illae membranae Andinae et Leid. pr. praebent *pugnae*. Quod non temere reiicio. OUDEND. Elegantiam illam non temere, sed iure tuo reiicies.

C. 81. fundis, sagittis, lapidibus nostros de vallo *deturbare*] Sic Cuiac. Scalig. Andin. et Oxon. Sed *proturbare* et confusis praepositionibus *perturbare* MSS. reliqui habent. Itaque *deturbare* mihi aliunde accitum (v. ad B. G. II. 24.), *proturbare* vero genuinum videtur. Atque est illud *de vallo proturbare* i. q. *procul de vallo deturbare* s. *de vallo propellere*. Confer Liv. V. 47. al.

ut superioribus diebus suus cuique locus erat *definitus*] Repone *attributus*. Scilicet *definitus* egregiae illae membranae offerunt, de quarum fide et ad B. G. I. 34. et alias exposuimus.

C. 82. in scrobes *delapsi* transfodiebantur] *delapsi* in Scalig. Cuiac. Andin. Oxon. et Leid. pr. legimus. Cdd autem notae melioris *delati* habent. Utrum igitur praeferendum sit, satis, puto, liquet. Item mox illi Lb. *ab his* pro *ex his* exhibent.

C. 84. quod suum periculum in aliena videat *virtute consistere*] Lege saltem, quod flagitat sententia et Cdd. suadet aucto-

ritas, *quod suum periculum in aliena vident salute constare.* Nam illud, ut dudum Oudendorpius animadvertit, prorsus perversum est. Miror itaque, qui Heldius annotare potuerit: „es ist schwer zu entscheiden, welche Lesart die richtige sey. Der Sinn ist: — sie erkannten, dass, wenn diese unterlägen, auch sie verloren wären, *so dass also von der Tapferkeit* (virtute), *(oder von der Erhaltung* (salute) *dieser das GLUECKLICHE BESTEHEN DER GEFAHR* (suum periculum) *abhänge, und somit gewissermassen ihr eigenes Heil in die Hände Anderer gelegt sey.*" Qua enarratione *(so dass* etc) utrum auctor semet ipsum deceperit, an lectorem decipere voluerit, equidem non assequor. Merae enim sententiae hae sunt: *sie erkannten, dass, wenn diese unterlägen (salute), auch sie verloren wären;* et *sie erkannten, dass, wenn diese nicht tapfer wären (virtute), auch sie verloren wären.* Quam absurda autem altera sit, vel me tacente quilibet intelliget. Verum vel lectionem meliorem non dixerim Iulianam esse. Nam qui *PERICULUM in aliqua re constare* dixerit, ego novi neminem, nec puto id a Caesare dictum esse. Scripsit, ni fallor, *quod suum CASUM in aliena vident salute constare.* Nempe *periculum* ex falsa interpretatione substitutum est. Confer ad c. 47. et de confusione vocabulorum illorum vide sis ad B. G. III. 5.

C. 85. Caesar idoneum locum nactus, quid quaque in parte geratur, cognoscit, *laborantibus auxilium submittit*] Vulg. *laborantibus submittit,* et pro *auxilium submittit,* quod MSS. Brant. Lovan. Egm. et Oxon. habent, Petav. *subsidium submittit* exhibet. Nihil puto Iulianum esse. Quid enim verba illa *hic* sibi volunt? Id nemo, spero, exponet. Suspicor igitur ea ex c. seq. *his rebus COGNITIS Caesar Labienum cum cohortibus VI subsidio laborantibus mittit)* deprompta et ad *cognoscit* adscripta posteaque verbis Iulianis inculcata esse. Confer. Reisig. ad Soph. Oed. Col. p. 209.

Exiguum loci ad declivitatem fastigium magnum habet momentum] *exiguum* Andin. et Oxon. Corrector ob seq. *magnum* invexit. Bene vulg. *iniquum.* V. c. 83.

C. 87. cohortes IV ex proximo castello deducit, equitum *se* partem sequi, partem circumire exteriores munitiones, et ab tergo hostes adoriri iubet] *se* Cuiac. Scalig. Andin. Oxon. et Leid. pr. *sese* Urs. Reliqui neque *se* nec *sese* agnoscunt. Unde scripserim, *equitum partem se sequi.*

Labienus — Caesarem per nuncios *facit certiorem,* quid faciundum existimet] sc. *Caesar.* Mira, si sana est, loquutio. Sed *facit certiorem* non videtur Iulianum esse.

C. 88. Eius adventu ex colore vestitus cognito, *quo insigni in proeliis uti consueverat*] Recte vertit metaphrastes, ᾧ σημείῳ ἐν ταῖς μάχαις εἰώθει χρῆσθαι. Qui verba, *quo — consueverat,* spuria esse putabant, etiam B. G. II. 20. et VII. 50. tentare debebant.

Nostri, *omissis* pilis, gladiis rem gerunt] v. l. *emissis* aut auctoris elegantis, aut librarii festinantis est.

C. 90. His rebus *litteris Caesaris* cognitis, Romae dierum XX subplicatio indicitur] Sic locum iam antiquissimis temporibus corruptum e MSS. Faernus refinxit. Sed quum plurimi MSS. *his litteris cognitis* offerant, non improbandum esse videtur, quod Voss. sec. habet, *his rebus cognitis.* Nimirum *litteris*, *litteris Caesaris* et *litteris Caesaris redditis* (ex B. Civ. I. 1.) παρεπιγραφαὶ fuerunt et prima in textum illata illud *his litteris cognitis* ex noto librariorum errore ortum est. Recepta vero altera illud *his rebus litteris Caesaris cognitis* exstitit. Ex tertia autem *redditur* pro *indicitur* prognatum et vulgatum est.

MENDA TYPOTHETICA.

Pag. 2 lin. 16 pro Neutiquem scr. Neutiquam
— 5 — 5 — *perferre*, alii praeferre scr. *perferre* alii *praeferre*

Pag. 6 lin. 24 pro exhibeaut scr. exhibeant
— 7 — 34 — legimns — legimus
} Vitia saepius obvia deinceps non notabimus.

Pag.	7	lin.	34	pro	*eum*	scr. *cum*
—	8	—	24	—	*instulissent*	— *intulissent*
—	9	—	32	—	evadac	— evadat
—	—	—	35	—	rett.	— vett.
—	—	—	44	—	antcced.	— anteced.
—	10	—	6	—	*comvinctam*	— *convinctam*
—	11	—	35	—	posset	— probat
—	13	—	16	—	deseripsit	— descripsit
—	14	—	13	—	B. G. T. I.	— B. G. I. I.
—	18	—	8	—	debemus id	— debemus, id
—	20	—	32	—	produnnt	— produnt
—	21	—	22	—	Petracha	— Petrarcha
—	—	—	30	—	qui	— quis
—	25	—	27	—	veror	— vereor
—	26	—	12	—	*facultatum*	— *facultatem*
—	29	—	27	—	prorsus p.	— prorsus, p.
—	35	—	36	—	scrip-sisse	— scri-psisse
—	49	—	28	—	*illam*	— *illum*
—	50	—	4	—	ea	— eae
—	53	—	15	—	*Ivδ.*	— *'Ivδ.*
—	56	—	18	—	*poterat, un.*	— *poterat un.*
—	57	—	26	—	intermissa	— intermisso
—	—	—	32	—	sic.	— sic
—	59	—	32	—	insimulatus	— insimulatur
—	60	—	3	—	*tuto*	— *luto*

Pag.	61	lin.	38	pro	tenuit. „Ceterum hoc	scr.	tenuit.“ Ceterum huc
Pag.	61	lin.	44	pro	*vidisset*	scr.	*videretur*
—	62	—	10	—	*obsidione*	—	*obsessione*
—	—	—	22	—	Casar	—	Caesar
—	—	—	41	—	*conficeret.*	—	*conficeret,*
—	64	—	7	—	admisi.	—	admisi.“

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 073 323 A

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 073 323 A